legata possidetur ab uno, vel obligatio est individua. Sed tantùm tenetur quisque pro rata, juxta portionem hæreditariam, in quam succedit, etsi alii nolint suam partem solvere. Constat ex *l. Pro hæreditariis*, *C. de act. hæred. l. In executione* 85. *in principio vers. Secunda*, *ff. de verb. obligat.* ubi omnes Doctores.

43 Secundò præmittendum est, ut optimè docet *Ant. Gomez* multis allegatis 2. *tom. var. c.* 10. *n.* 3. *& seq.* obligationem consurgentem ex contractu, vel promissione, esse triplicem. Quædam est diuidua omni respectu, & est illa, in qua continetur res, quæ in pondere, numero, vel mensura consistit. Ut *si promittam me daturum centum aureos, centum fanecas tritici*. Hujusmodi etiam est promissio dandæ alicujus rei integralis habentis certos fines à natura determinatos, quando non promittitur in genere, sed res certa, & determinata. Ut si promittat quis dare hunc calicem, vel talem domum, vel talem servum. Quia quamvis res promissa sit indivisibilis, at obligatio est divisibilis. Secunda est obligatio omni respectu individua. Quando, scilicet, promittitur aliquod factum, ut *promitto me ædificaturum Ecclesiam, vel facturum calicem*. Ratio est, quia factum in qualiam forma consistit, quæ donec perficiatur, non dicitur aliquid factum. Ita habetur *l.* 2. *l. In executione* 85. *in principio, versic. Secunda, ff. de verbor. obligat.* Tertia est obligatio suapte natura dividua, at individua effectu, seu liberatione. Quia etsi obligatio dividi possit, at non liberatur hæres quilibet, donec solvatur totum. Hujusmodi est promissio dandæ alicujus rei integralis, ut calicis, servi, fundi, quando in genere, nulloque terminato promissio fit. Et hujusmodi etiam est promissio alternatiua. Ut *promitto hunc servum, vel hunc fundum*. Sic habetur expresè *dict. l.* 2.

44 His præmissis dicendum est sic circa quæstionem propositam. Si promissio sit omni respectu dividua, ut alicujus quantitatis dandæ, vel alicujus specici detetminatæ, ut certi calicis, certi servi, non tenetur quilibet hæres in solidum, nisi apud aliquem illorum sit illa species promissa, sed quilibet satisfaciet dando quantitatis promissæ partem, pro rata hæreditatis, in quam succedit, & si servus ille, vel calix sit omnium, dando partem, quam in illum habet. Ita habetur expresè *l.* 2. *ff. de verborum oblig.* Et tenent ibi *Bartolus*, *Albericus*, *Paulus*, quos refert, & sequitur *Antonius Gomez.* 2. *tom. variar. c.* 10. *n.* 3. 4. 7. Quòd si apud aliquem sit titulo hæreditario species illa promissa, tenetur ille eam integrè soluere, at habebit actionem contra alios hæredes, ut suam sibi partem solvant pro ratione suæ portionis hæreditariæ. Ut habetur *ea l.* 2. & optimè dixit *Sotus lib.* 6. *de justit. q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. *versic. Reliqua jam*. Si verò res sit omni respectu individua, tenetur quilibet hæres in solidum, alio nolente. Ut habetur expresè *d. l.* 2. *& d. l. In executione*. Et tenet citatis *Bartolo*, *Alberico*, *& Paulo Antonius Gomez. eo t.* 10. *num.* 25. Et ideò optimè dixere, *Sylvest. verb. Hæreditas* 3. *q.* 11. *Ang. verb. Hæres n.* 8. *& ibi Tabiena n.* 6. teneri quemlibet hæredem in solidum implere promissionem defuncti de aliquo faciendo. Hoc autem intelligitur, quando ipsum factum promissum est. Nam si pecunia ordinata ad factum promissa sit, aut legata, ut si testator voluit, vel legauit aliquam quantitatem pro Ecclesia ædificanda, etsi *Imola*, *Alexander*, *Paulus*, *Angelus* quos refert, & sequitur *Antonius Gomez*, *dict. c.* 10. *num.* 25. *versic. Tertio infero*, dicant eam obligationem esse indiuiduam omnino, instar ipsius facti, ac proinde obligationem transire ad quemlibet hæredem in solidum. Quod probat *l. Fideicommissa* §. *Si in opere*, *ff. de legat.* 3. At oppositum est verius, & ita quilibet hæres tenebitur ad eam quantitatem pro rata. Quod sustinent *Bartolus*, *Albericus*, *Baldus*, *Jacobus*, *Aretinus*, *Alexander* sibi contrarius, *Socinus*, *Jason*, *Vincentius* quos refert *ibi Antonius Gomez*. Et ad *l. Fideicommissa*, respondent intelligi, quando ipsi hæredes sunt grauati facere aliquod opus, & in eo certam quantitatem expendere. Tandem quando obligatio est suapte natura dividua, individua autem effectu, seu liberatione, ut dandi calicis, vel servi in genere, vel disjunctivè hujus, vel illius, quilibet hæres tenetur pro parte, at non manet liber, sed suspenditur petitio, & actio, donec conveniantur alii cohæredes, & si solvat, manet liber, secùs non. Habetur expresè *ea l.* 2. Et citatis *Bartolo*, *Alberico*, *& Paulo*, docet *Antonius Gomez eo cap.* 10. *numero* 8. *&* 12. Quare credo in foro conscientiæ teneri tunc quemlibet hæredem in solidum, quando alii hæredes conveniri nequeunt defectu probationum, & si petitur juramentum, negant, vel alia ratione falsa in judicio conuenti se exemerunt.

45 Quòd si non titulo hæreditario, sed legati, res determinata Deo promissa, relicta alicui est, ut instituto hæredi, vel alii, videtur idem dicendum, quod de legato rei alienæ. De quo sic distinguitur. Si testator legans novit rem esse alienam, valet legatum, & tenetur hæres eam emere, & tradere legatario. Quod si dominus rei vendere nolit, aut auctiori solo pretio, quam valeat, tenetur hæres dare æstimationem legatario. Quia cum scienter rem illam alienam legarit, non præsumitur voluntas faciendi actus frustanei, sed animus, ut modo possibili ea res ad legatarium perveniat. Si verò ignorarit rem esse alienam, censetur legatum irritum, nisi legatarius sit persona testatori conjuncta, ut si sit uxor, aut propinquus. Tunc enim præsumitur fore, ut testator sciens rem alienam esse, eam adhuc legasset, vel tatumndem ex aliis suis bonis. Ad legatarium autem spectat probare testatorem scivisse rem esse alienam. Hæc expresè habentur, *l. Cum rem alienam*, *C. de legat.* §. *Non solùm institut. de legat. & l. Regia* 10. *titul.* 9. *p.* 6. Et docent *Gregorius Lopez tota ea l.* 10. *Covarr. cap. Filius noster*, *n.* 1. *&* 4. *de testament. Antonius Gomez* 1. *tom. variarum c.* 12. *num.* 13. & latissimè *Menochius de præsumpt. lib.* 4. *tota præsumptione* 116. *Molina tomo primo*, *de justitia tota disput.* 196. Qui optimè dicit, cum hæc innitantur præsumptioni, contrarium vim habere in utroque foro, si circumstantiæ contrarium sine dubio præsumere suadentes concurrant. At in dubio standum esse in utroque foro hac juris præsumptione. Nomine autem conjunctæ personæ intelligit *Antonius Gomez* cum aliis, quos *ibi* refert, conjunctos usque ad decimum gradum. Sed meliùs *Glossa finalis dict. leg. Cum alienam*, *& Molina dicta disput.* 196. prudentis arbitrio relinquendum spectatis aliis circumstantiis concurrentibus, ut conjiciat, quando si testator nosset rem alienam, reliqueret tantumdem legatario, vel cogeret hæredem emere, aut æstimationem solvere. Porrò legatarium esse valdè amicum testatoris, aut legatum esse ad caulas pias conjecturæ sunt, ut credatur fore ut esto testator ignoraret rem esse suam, tantumdem de aliis suis bonis legaret. Et ita tradunt multi, quos referunt, & sequuntur *Antonius Gomez*, *Menochius numer. decimonono*, *& trentesimo* proximè allegati. Quamvis multi alii id privilegium causæ piæ denegent. Prudentisque arbitrio ex circumstantiis occurrentibus judicandum relinquitur, an testator sciverit, an potius ignorarit rem esse alienam. Ut optimè docent *Covarr. eo cap. Filius numero primo in fine*; *Menochius ea præsumptione* 116. *numero trentesimoquinto*. Quando autem perpensis omnibus circumstantiis res æquè dubia manet, præsumitur ignorantia, & proindè non valebit legatum. Cum textus *dicto* §. *Non solum*, *dicta libro decimo*, onus probandæ scientiæ in legatarium rejiciant. Hoc ergo supposito difficultas est, an idem sit dicendum, quando testator legat rem determinatam, quam Deo promiserat. Et quidem quando ignoranter, aut voti immemor legat, idem prorsus dicendum existimo, quod de legato. Quia etsi res illa non sit aliena, est tamen Deo debita: nec præsumitur fore, ut ille sciens legaret contra votum. Quando verò ratione conjunctionis, aut specialis amicitiæ, aut pietatis causæ, conjectura sumeretur fore, ut testator conscius legaret tantumdem de suis bonis, valebit legatum, & tenebitur hæres ad eam emendam à persona, in cujus favorem votum fuit; & si emere nequeat, tenetur ad æstimationem legatario. Si verò scienter res illa legata sit, videtur res dubia, an idem dicendum sit, quod in legato rei alienæ scienter relicto. Videtur enim diversa ratio. Quippe rei alienæ non integrum est testatori transferre dominium, ac proinde, ne frustra legare censeatur, videtur velle, ut hæres illam emat, aut si nequeat, solvat æstimationem. At rei Deo promissæ potest dominium in legatarium transferre; idque fecisse videtur eam scienter legando, perinde ac si donasset. Et cum ex voti transgressione obligatio restituendi non consurgat, & solam rem illam determinatam testator Deo voverit, non tenebitur hæres id votum implere, nec legatarius rem illam restituere. Verum existimo dicendum idem, quod de legato rei alienæ scienter facto. Quia sicut, ne actus vanus sit, jure optimo jus presumit intentionem legantis scienter rem alienam esse legandi in quantum posset, ita ad vitandam delicti transgressionis voluntariæ voti præsumptionem, meritò præsumi debet mentem testatoris eamdem fuisse, quæ est in rei alienæ legato. Cum in quantum fieri potest, præsumptio delicti vitanda sit: & tanto cum rigore eam jura vitent, ut gratia illius vitandæ inducant præsumptionem juris, & de jure, animi ineundi matrimonium copula subsecuta post sponsalia, *cap. Is qui fidem de sponsalibus*. In dubio autem scientiæ, seu memoriæ, aut ignorantiæ, seu oblivionis voti, dicendum est præsumi oblivionem. Sicut de rei alienæ legato proximè diximus.

46 Tandem si dubitet hæres, an testator mille, an sola quingenta voverit, existimabit quispiam teneri heredem ad id, quod majus est, nempe ad illa mille solvenda. Ducetur que, quia *cap. Cum dilecti, de donat. & regula, In testamentis, ff. de regulis juris*, dicitur in testamentis pleniorem interpretationem esse accipiendam. Et *Glossa ea regula, in testamentis, in initio, & Abbas eo cap. Cum dilecti numer.* 4. dicunt idem esse in legatis. At credo heredem in eo dubio teneri ad id, quod minus est. Ducor quia vovens in eo dubio ad solum minus tenebatur. Ut probavimus *cap. decimotertio, numero decimoseptimo*. Non ergo in simili dubio hæredis, tenebitur ipse hæres ad amplius. Cum perinde sit, ac dubitare, an plus, an potiùs minus] ipse debeat. Preterea, quia quidquid sit da larga legati interpretatione facienda, & dato ea admittatur, non habet locum in nostro casu, in quo non agitur de legato aliquo adimplendo, sed de testatoris voto. Tandem, quia etsi testamenta sint pleniùs interpretanda, eò quòd de favore publico agatur, ad quem spectat illa valere. Et ita interpretandi sunt textus allegati. At legata in testamento relicta sunt strictè interpretanda

anda, ut ad minimum hæredem grauent. Ut apertè probat *l. Nummis* 73. *ff. de legat.* 3. *& l. Apud Julianum*, §. *Sejo*, *& l. Sit ita scriptum*, *in fine*, *ff. de legat.* 1. Et ratio est, quia præsumitur testatorem velle grauare hæredem, quàm minimum possibile est, *l. Unum ex familia* §. *Si rem*, *ff. de legat.* 2. Et docent optimè *Decius d. regula in testamentis*, *num.* 3. *Menochius de præsumpt. lib.* 4. *præsumptione* 106. *per totam*, & maximè *à num.* 17. Et quamuis in legatis piis dicant aliqui latiorem interpretationem esse sumendam. Ut retulimus *c.* 13. *num.* 5. At *ibi num.* 8. contrarium probauimus. Si autem hæres certus est defunctum emisisse votum aliquod reale, & ex probabilibus conjecturis nequit conjicere id impletum, sed res manet anceps, tenetur illud implere. Quia debitum est certum, solutio autem dubia, & proinde pro debito est possessio. Item, quia in hoc dubio condemnaretur in foro externo, eò quòd constat de debito, non autem de solutione. Ergo idem est in foro conscientiæ. Cum idem in utroque foro servandum sit, quando sententia fori externi non nititur præsumptione, quam constat falsam esse. Ut probauimus *l.* 1. *c.* 10. *num.* 18. Quando autem testator promisit duas res inæquales, & nescitur, cui ex duobus pretiosiorem promiserit: diximus *capit.* 13. *numero decimo octavo*. Et quid quando unam determinatam ex pluribus, & similiter ignorat hæres quam, diximus *ibi numero* 19.

CAPUT XVI.

Ad quid obliget religionis votum?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sunt? num. 1.
An hoc sit votum religionis, & qualiter obliget: Voveo religionem, si Deus aliud non disposuerit? *nu.* 2.
An in dubio, an conditio illa evenerit, obliget? nu. 3.
An id votum sit verè conditionale? num. 4.
Quid de voto ingrediendi religionem, servanda castitatis, non ludendi, & similibus, sub hac conditione, si possum? *nu.* 5.
Quid de hoc voto, ingrediar hanc religionem, si quam ingrediar? *Remissivè num.* 6.
Quid de hoc, nullus erit mihi obstaculo, quominus religionem ingrediar, vel aliquid aliud faciam? *nu.* 7.
Quid de hoc, promitto fore, ut velim religionem ingredi, vel aliquid aliud faciam, vel fore, ut nolim extra religionem vivere, vel ut aliquid aliud omittam? *numero* 8.
Quid de hoc, promitto me moriturum in religione? *Et quando hoc votum obliget, vel si quis voveat se ante mortem ingressurum religionem? num.* 9.
Quid de voto vitæ eremiticæ? num. 10.

1 QUæstio hæc est gravissima, & valde necessaria; sexque quæstiones disputandas petit. Prima est. Quando censeatur votum religionis? Secunda, an illi satisfaciat ingrediendo quamcumque religionem? Tertia, ad quam diligentiam obligetur vovens, & quando non admissus liberetur voti ingrediendi obligatione? Quarta, ad quam perseverantiam in religione obligetur; & quando post ingressum exiens, aut expulsus, maneat liber à voto ingressus? Quinta, an post debitam diligentiam non admissus ita voto liberetur, ut ad nil prorsus teneatur, sed possit ad nuptias transire? Sexta an contra votum religionis iniens matrimonium, teneatur ad aliquid.

2 Quæstio prima. Quando censeatur religionis votum? De aliquibus votis controverti potest, an re vera sint vota religionis, & qualiter ad illius ingressum obligens. Primum est, *promitto religionem, nisi Deus aliud de me disposuerit*. Et idem est de quocumque alio voto sub simili conditione emisso. De quo voto agunt *Corduba summ. qu.* 39. *& Manuel.* 2. *tomo summ. c.* 95. *nu.* 9. Et dicunt, quando de speciali vouentis intentione non constat, duplicem esse sensum ex vi verborum. Prior est, *voveo religionem, nisi Deus ratione morbi, aut alicujus alterius obstaculi ingressum impedierit*. Et in hoc sensu dicunt obligare votum ad religionem, non existente eo impedimento. Posterior est, *nisi Deus aliud, quod spirituali voventis saluti expedientius sit, disposuerit*. Et tunc dicunt teneri vouentem prudentes proboque viros consulere qui iudicent attenta inclinatione, aliisque peculiaribus circumstantiis, expediat ne magis ei religionis ingressus, & si judicent magis expedire, teneri voto. Quòd si oppositum judicent, dicunt eum liberum esse à voto. In dubio verò utrum illorum magis expediat, dicunt melius esse commutationem, aut dispensationem impetrare. Hæc illi. Quibus addo cessare hujus voti obligationem ex quauis harum causarum deficiente, nempe, aut quia adest id impedimentum: aut quia judicatur aliud magis expediens saluti vouentis. Quia cum utrumque sensum ea verba admittant, nec sit potior ratio de uno, quàm de alio, dum juxta utrumque conditionalem sensum non stat voti obligatio, præsumendum est potiùs in favorem libertatis vouentis, utpote quæ possidet. Hoc autem impedimentum non intelligo tale, quale etiam ea conditione non apposita de obligaret prorsus à voto. Tunc enim frustra ea conditio apponeretur. Nec etiam intelligo impedimentum quodvis temporale, id enim non solet religionis ingressum impedire. Sed medio modo acciperem, nempe, quando impedimentum est tale, ut quamvis ea conditione seclusa non excusaret, at commodum religionis ingressum diu impediret, & prudentis judicio rationabile judicatur. At quod conferunt dicenda *n.* 5. de conditione, *si possum*. Quia utraque conditio videtur similis suo modo.

3 Cum verò dùbitatur, an sit tale impedimentum, vel an sit peculiari vouentis saluti expedientius non ingredi, videtur id votum obligare. Quia à communiter accidentibus deduci optimè potest præsumptio majoris convenientiæ voti religionis, & similiter cum existere impedimentum sit quid facti, nec facta præsumantur, dicenti se impeditum esse videtur incumbere probandi impedimenti onus. Quare etsi non sit præsumptio pro voti conditionalis obligatione, donec conditio impleta sit, at cum talis est conditio, ut præsumatur potiùs impleta, videtur stare possessio in hoc dubio pro voti obligatione. Ex alia parte videtur id votum non obligare in eo dubio. Quia nulla est possessio pro voto conditionali, nisi impleta conditione, cum antea constet id non obligare, & petenti obligationem, quasi conditio impleta sit, incumbit onus probandi eam impletam, sive conditio sit affirmatiua, siue negatiua, *l. Eum qui novissimus*, *ff. ad Trebell.* & docent *Socinus Junior consil.* 67. *à nu.* 1. *Mantica de conject. ultima voluntatis lib.* 11. *tit.* 16. *num.* 5. Insuper, quia etsi regulariter expedientius in se sit saluti vouentis ingredi religionem, & proinde videtur stare possessio pro hac parte, at conditio non fuit, *si fuerit in se expedientius*, sed *si fuerit voventi, attentis particularibus circumstantiis, hic & nunc expedientius*. Et cum sint circumstantiæ reddentes rem ancipitem, an sit expedientius, & proinde, an sit impleta conditio, non videtur præsumi impleta ad inducendam voti obligationem pendentem ex ejus conditionis eventu. Nec obstat impedimentum esse, quid facti, & proinde non præsumi: quia fateor id non præsumi: & ita obligatio absolutè ad aliquid faciendum, & quò se nxoneret, alleganti impedimentum, incumbere ejus probandi onus. At id provenit ex eo, quòd de obligatione constat, & excusatio est dubia, & ita ea probanda est à se eximente, utpote quæ fundamentum suæ intentionis est. At cum obligatio fuit sub conditione, *nisi impedimentum fuerit*, nulla est possessio pro voti obligatione, nisi probetur id impedimentum non esse. Quare non est fundamentum intentionis se excusantis ab obligatione id impedimentum esse, ut vel id clarè ostendere debeat. Quia ipse excusatus est, dum non constat conditionem esse impletam: sed potiùs est fundamentum intentionis potentis votum obligare, ejus enim obligatio à conditionis implemento pendet. Tandem, quia petenti in foro externo eam obligationem impleri, incumberet probare non esse impedimentum, & dum res maneret dubia, succumberet utique. Ergo idem in foro conscientiæ dicendum est in simili dubio. Juxta regulam traditam *l.* 1. *cap.* 10. *num.* 18. Et hæc pars videtur mihi probabilior. Quam satis innuunt *Corduba*, *& Manuel.* allegati *num.* 2. dum dicunt in dubio, quod sit expedientius, esse meliùs petere commutationem, aut dispensationem voti; quasi sentientes id tantùm esse consilium. Quòd si petas, quando hæ conditiones negatiuæ censeantur impletæ, dicemus infra, ubi de voto conditionali tractaverimus.

4 Ex his deducitur, prædictum votum esse re vera conditionale. Quia etsi in omni voto intelligatur conditio, *nisi advenerit impedimentum omnino excusans à voti obligatione, vel nisi contrarium gratius fuerit Deo*; & sic conditio ea expressa videatur tacitè inesse, ut vel sic actum conditionalem non reddat. At quia non exprimitur eo modo, quo tacitè idest, reddit actum conditionalem. Tacitè enim inest, dummodo non superueniat impedimentum omnino excusans à voti obligatione; & in voto religionis, dummodo contrarium non sit gratius Deus absolutè, & consideratis omnibus circumstantiis in ordine ad bonum commune. Nam etsi contrarium sit melius huic speciali voventi, id votum adhuc obligat. Ut probaui *cap.* 8. *numer.* 10. At in hoc voto sufficit impedimentum, quod seclusa ea conditione non omnino excusaret. Ut diximus *numero* 2. Et ut peculiaris vouentis saluti sit expedientius non ingredi.

5 Secundum votum est. *Promitto me ingressurum religionem, fore castum, daturum eleemosynam, &c. si possum*. Quod votum est conditionale illarum rerum. Et quidem quando vouens nescit suam explicare intentionem, sensus illius conditionis ex vi verborum est deducendus ex conjecturis. Ut si divès promittat eleemosynam sub ea conditione, cum re vera possit aliàs facilè dare, sensus est. *Si possum vincere meum affectum erga divitias ita, ut sine magna mei affectus difficultate possim*. Ut optimè ait *Suarez.* 4. *tomo in* 3. *p. quæst.* 85. *art.* 1. *disp.* 3. *sectione* 3. *num.* 5. Similiter in carnis illecebris valde vexato, vel valde affecto ad matrimonium, ludum, vel aliquod vitium, intelligitur ea conditio. *Si mediocri adhibita diligentia, & absque magna difficultate potuero pravam illam animi propensionem superare*. Quare tunc contravenientur illi voto, quando facilè vovens succubuerit tentationi; non autem illius reus censendus erit, quando mediocrem adhibuerit diligentiam ad tentationem iupe-

superandam, & tandem præ fragilitate victus fuerit. Et tandem in omnibus aliis euentibus, ubi non constat de speciali vouentis intentione, quæ ante omnia est semper spectanda, conditio illa, *si possum*, non intelligitur de potentia physica, nec absoluta morali. Quippe hanc omnes se habere norunt, nec frustra apponere illam conditionem præsumuntur: sed ad includendam solam potentiam commodè, & sine magna difficultate implendi.

6 Tertium votum est. *Promitto me ingressurum hanc religionem, si quam intravero*. De quo latè diximus *cap.* 8. *à num.* 44.

7 Quartum votum est. *Voveo nullam personam fore mihi obstaculo, quominus religionem ingrediar, vel aliquid aliud faciam*. Vulgo *que nadie ha de ser parte para que yo entre en religion, o para que no haga esto*. Quod quando non constat de speciali vouentis intentione, minimè est votum religionis, aut illius rei faciendæ. Quia sensus est, *non ira omittam precibus alicujus ductus*. Quare spontanea voluntate posset ille omittere. Nec etiam reus esset voti, si importunè rogatus omittat, non ob illas preces, sed quia aliàs mutavit voluntatem, vel ob aliam rationem. Quamvis autem ex mera voluntate possit id omittere, validum est votum. Nam obsequio Dei non parum deservit, non posse à concepto bono proposito desistere ob importunas cujusvis preces: promptiorque ad exequendum redditur, qui eam difficultatem non raro executioni boni operis obstantem superavit. At si esset hujusmodi votum, *voveo nil fore impedimento*, censetur votum religionis, vel illius rei bonæ exequendæ. Quia tunc ex vi verborum sensus est, nullam rem fore sufficientem ad retrahendum me ab eo religionis ingressu, vel alio bono promisso. Et cum omne obstaculum excludatur, est absolutum illius rei votum. Ex conjecturis quóque posset colligi, uter horum fuerit sensus. Si enim quis sollicitatus ab aliquo, ne id faciat, quasi iratus id voueat, est apertum indicium, ea verba in priori sensu prolata esse. Si verò, quia se fragilem sentit, & proponuntur variæ sibi difficultates, id vouet, ne illis vincatur, signum est posterioris sensus. At quando hinc inde sunt conjecturæ rem ancipitem reddentes, judicandum est juxta verborum rigorem modo dicto. Quòd sic, ne verborum, nec intentionis meminerit, nec ex conjecturis elici possit, uter eorum sensus fuerit, & utra eorum verborum forma fuerit, est perinde, ac dubitare, an promiserit, quod majus est: nempe, absolutè religionem, idque bonum; an potiùs, quod minus est, nempe, nullam personam fore obstaculo. In quo dubio judicandum esse in favorem vouentis, ut id, quod minus est, promiserit, diximus *cap.* 13. *numero* 17.

8 Quintum votum est, votum volendi ingressum religionis, aut aliquod aliud bonum. Et id non est votum religionis, nec illius boni. Quia aliud est, aliquid facere, & aliud velle facere. Ut tradit *Glossa* communiter recepta, *l. In vendendis, C. de contrah. empt.* At hic non promisit ingredi, aut id facere, sed tantùm se aliquando in animo habiturum religionem ingredi, aut id bonum opus facere. Et cum ea voluntas bona sit, quæ objectum illius voti est obligabit votum ad habendam aliquando eam bonam voluntatem. Ita docent *Navarr. lib.* 3. *consil. tit. de voto, in* 1. *editione, toto consil.* 10. *in* 2. *toto consilio* 6. *Azor. lib.* 11. *inst. moralium cap.* 22. *qu.* 11. Quare satisfiet ei voto habita semel ea firma voluntate; nec obstabit matrimonio ineundo; quia cum eo inito non sit impossibilis religionis ingressus, sed possit esse de licentia alterius conjugis, aut diuortio perpetuo celebrato. potest adhuc matrimonio inito haberi ea voluntas, & sic voto satisfieri. Si verò votum sit nolendi in sæculo viuere; aut nolendi rem aliquam omittere, adhuc non est votum religionis, vel rei illius faciendæ. Ut benè docent *Nav. & Azor. ibidem*. Quia tantùm est votum non eliciendi hujus actus voluntatis *volo in sæculo vivere, volo hoc bonum omittere*. Quare hic satisfaciet voto habendo se negatiuè, nec eliciendo actum volendi viuere in sæculo, nec contrarium. Et ideò poterit inire matrimonium. Quia eo inito obligatur ad manendum in sæculo cum uxore, at non obligatur eliciendum hunc actum, *volo in sæculo manere*: & tantùm promisit fore, ut non eliceret hunc actum. At inito matrimonio potest eum actum suspendere.

9 Sextum votum est moriendi in religione. Et hoc planè est religionis votum. Non enim potest quispiam in religione mori, nisi illam ingrediatur. Et ita docent *Navar. lib.* 3. *consil. tit. De voto in* 1. *editione, consilio* 23. *nu.* 2. *in* 2. *consilio* 7. *num.* 3. *Manuel.* 2. *tomo summæ c.* 95. *num.* 2. *Azor. num. præcedenti* allegatus. Imò benè ait *Navarr. ibi* esse votum perseuerandi in religione, & in ea profitendi. Quia aliter nequit ille in ea mori. At dubium esse potest, quando obliget hoc votum, seclusa peculiari mouentis intentione. Videtur enim obligare eo tempore, quo obligaret votum absolutè emissum ingressus religionis. Quòd id votum sit ingressus, addatque perseuerantiam. Sed ex altera parte urget, quòd etsi id votum includat utrumque; at non claudit ingressum absolutum, sed ante mortem. Et ita non videtur hic virtute horum verborum, totum vitæ suæ curriculum in religione conficiendum Deo consecrasse, ut consecrant vouentes absolutè religionem. Sed perinde est, ubi non constat de alia vouentis intentione, ac promittere ingressum ante mortem, & perseuerantiam usque ad illam. At qui sic promitteret, non ita statim videtur arctari ad ingressum, ac promittens absolutè. Quia 'etsi tacitè videtur inesse, & proinde nil operari; at non videtur exprimi eo modo, quo inest, ne ineptè exprimatur, sed censetur apposita in dubio, & quando conjecturæ occurrentes aliud non suadent, ad non arctandum se ad ingrediendum intra tam breue tempus, ac votum ea conditione non expressa obligaret. Et ideò existimo hanc partem veriorem, & id votum obligare ad ingrediendum intra tempus, in quo sit possibilis ingressus, & religioni utilis, ac ille vires habeat ad religionis onera sustinenda.

10 Ultimum est votum vitæ Eremiticæ, & solitariæ. Quod constat non esse votum religionis. Sed de ejus obligatione potest esse difficultas. Et videtur id votum non obligare. Quia vouentes ignorant inuincibiliter ad eam vitæ rationem utiliter ineundam opus esse diu, ac multum proficisse in religiosorum cœtu. Et ideò res ignorata est magni momenti; eò vel maximè, quòd fiat sine totis viribus vacandi diuino obsequio. Secundò, quia à sæculari vita immediatè ad eremiticam, seu solitariam transire absque specialissimo Dei instinctu, est res periculosissima. Ut benè probat *D. Thom.* 2. 2. *q.* 188. *art.* 8. *ex D. Greg. & D. Hieronymo, & D. Anton.* 3. *p. tit.* 16. *c.* 1. §. 4. Et confert valde tota collatio Abbatis Joannis, quæ est 19. apud Cassianum. Et sic non est apta voti materia. Quare tantùm videtur id votum obligare, si emittatur à persona ita in orationis studio proiecta, & rerum spiritualium, ut prudenter judicetur eam vitam utilem ei futuram. At in contrarium urget, quòd in votum includat in se obligationem abstinendi in perpetuum à matrimonio, & manendi in statu cœlibatus; etsi non sit votum castitatis. Nec enim fornicando contraueniretur illi voto. Sicut votum religionis includit votum abstinendi à matrimonio, etsi non sit votum castitatis. Quippe matrimonium utrique statui aduersatur. At votum abstinendi à matrimonio validum est, quamuis vouenti esset melius nubere ob frequentes carnis lapsus. Quia ad ejus valorem satis est rem in se esse meliorem. (Ut probauimus *cap.* 8. *numero* 10.) Nec necessarium est ad voti valorem, nosse quantam perfectionem status ille utiliter assumendus exigat. Et ideò hæc pars magis mihi placet. At fateor facilè concedendam esse dispensationem ob rationes dictas, quando vouenti non esset salubrior ille status.

SUMMARIUM.

An Equites D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ sint verè religiosi, satisfiatque voto religionis, assumendo horum habitum? num. 11.

An satisfiat assumpto habitu Equitum D. Joannis, aut Clericorum ordinum militarium, aut Canonicorum Regularium? num. 12.

Quid assumendo habitum religionis non reformata? nu. 13.

An votum ingressus religionis non reformata valeat, & liceat illam ingredi? num. 14.

An votum illam non ingrediendi valeat? nu. 15.

An vovens ingredi strictiorem religionem, peccet ingrediens laxiorem, & profitens maneat liber, etsi prius votum fuerit perseverandi? num. 16.

An c. penultimum de regular. in 6. *decidens peccare voventem ingressum strictioris, ingrediendo laxiorem, intelligatur de solo eo, qui in strictiori perseverare promiserat? numero* 17.

An votum strictioris possit commutari in perseverantiam in laxiori, vel disjunctive in laxioris ingressum cum perseverantia, aut ingressum strictioris, idque liceat absque commutandi animo? nu. 18.

An liceat commutare in eam perseverantiam, nullo perseverandi voto in laxiori emisso, liceatque tunc propria auctoritate redire ad prius votum ingressus in strictiorem? Et quid, si commutatio sit in votum perseverantia in laxiori? numero 19.

An liceat voventi strictiorem, ingredi laxiorem, non commutando in perseverantiam in ea, nec emisso perseverandi voto? numero 20.

An hic ingrediens laxiorem sit in mortali, donec profiteatur? n. 21. *Et ibi, quid, si votum sit ingrediendi Carthusiam, si quam ingrediar?*

An vovens religionem strictiorem, liberetur voto, professione emissa equitum D. Joannis, possitque in eam professionem commutare votum? num. 22. *Et ibi, quid de religione non reformata?*

An votum religionis possit commutari in perpetuam castitatem? num. 23.

An vovens monasterium magis reformatum ingredi, possit minùs reformatum ejusdem ordinis, & professus in hoc possit ad illud transire? nu. 24.

An vovens strictiorem religionem possit ingredi laxiorem habentem privilegium recipiendi tales voventes? nu. 25.

An vovens ingredi aliquam religionem, possit propria auctoritate aliam æquè arctam ingredi? nu. 26.

Post num. 26. *invenies alia summaria.*

11 Quæ-

11 Quæstio secunda. An voto religionis satisfiat quamcumque religionem ingrediendo? Et quidem credo non satisfieri assumpto habitu equitus D. Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, quos vulgo, *Comendadores*, vocant. Primò, quia valde controversum est, an hi veri religiosi sint, eò quòd non absolutam, sed conjugalem castitatem voueant, nec absolutam obedientiam, & paupertatem. Et ideò hoc sustinent *Sotus lib.* 7. *de just. quæst.* 5. *art.* 3. *ad* 3. *Sarmiento de redditibus* 4. *p. c.* 1. *num.* 13. & 1. *p. defensionum, monito* 55. *num.* 1. & 5. & *monito* 56. *nu.* 1. & 4. & *monito* 57. *Alcozer de ludo c.* 39. *Gutier. lib.* 2. *pract. q.* 111. *num.* 2. *Lassarte de decima venditionis c.* 19. *nu.* 92. *Girenda de gabellis, p.* 7. *numero* 46. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad ultimum prima opinionis, Molina tomo* 1. *de just. disp.* 141. *column.* 3. *vers. Est verò rigida, & tomo* 2. *disp.* 632. *num.* 5. *Azevedo lib.* 3. *recopil. tit.* 5. *l.* 14. *num.* 3. & multi alii, quos hi referunt, *Azor. lib.* 13. *instit. moral. c.* 3. *q.* 2. *Manuel.* 2. *tomo summæ cap.* 95. *num.* 8. Secundò, quia quamuis verius credam hoc esse veros religiosos, ut pote qui vouent castitatem, paupertatem, & obedientiam, sub regula à sede Apostolica approbata, & quamuis hæc vota non sint de tam absolutis his rebus, ac in aliis religionibus promittuntur; at ipsa sedes Apostolica, cujus est religionum justitiam confirmare, dispensauit, ne ita strictè emitterentur. Et ideò hos esse verè, & propriè religiosos, sustinent *Navarr. lib. de redditibus q.* 1. *num.* 95. *qu.* 3. *num.* 29. & 30. & *in apologia, monito* 55. & *lib.* 3. *consil. tit. De regul. in* 1. *editione, toto consilio* 23. *in* 2. *toto consil.* 10. *Fortunius Garzia in quodam consilio pro militia S. Jacobi* 2. *p. versic. Præterea, Couar.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 1. *numer.* 18. *Metina de sacrorum hominum continentia, lib.* 4. *controversia* 7. *cap.* 39. *Anendanno c. Pratorum lib.* 2. *c.* 26. *num.* 11. *Velluga in Speculo principum c.* 1. *rubrica* 7. *nu.* 76. *Bonadilla in sua politica, lib.* 2. *c.* 19. *numer.* 11. *Manuel. quæstionum regular. tomo* 1. *q.* 1. *art.* 8. Et hanc partem latissimè probant, & in eam magis inclinant, etsi indecisam relinquant *Greg. Lop. lib.* 1. *glossa ultima, tit.* 7. *p.* 1. *Minchaca de controversiis illustribus, lib.* 3. *c.* 105. *à num.* 48. & *de successionum creatione, lib.* 3. §. 30. *à num.* 303. Et tandem hanc partem optimè, & latissimè defendit soluens contraria, & plurimorum Theologorum magni nominis ex omnibus religionibus subscriptiones afferens, *Mota de confirmatione ordinis militiæ, lib.* 2. *toto c.* 1. & 2. Quamuis ergo hos veros religiosos esse censeam, adhuc dicendum est non satisfieri prædicto voto non ingrediendo hanc religionem. Quia communiter religionem promittentes intendunt statum viuentium in communi, & alienum à tumultu, fastu, ac curis sæcularibus.

12 Qui ratione non approbo, quòd docent *Aragon. nu. præced.* alleg. & *Azor. lib.* 13. *institut. moral. c.* 2. *qu.* 4. & *Manuel. Rodriguez in* 2. *tomo summæ cap.* 95. *numero* 8. nempe, satisfieri voto religionis, assumpto habitu equitum D. Joannis. Ducuntur, quòd hi absque controversia veri religiosi sint, utpote qui solemne castitatis votum sufficiens ad dirimendum matrimonium ratum emittunt. Ut defendimus *lib.* 2. *de matrim. disput.* 18. *numer.* 8. Sed dicendum est non satisfieri propter rationem *num. præced.* adductam. Et ita tuetur *Corduba summæ qu.* 148. Qui benè addit satisfieri ingrediendo religionem clericorum ordinum militarium in communi viuentium. Quia veram vitam regularem in cœnobiis instar aliorum religiosorum ducunt. Atque idem dicendum est de ingressu in religionem canonicorum regularium. Quia eodem modo in communi viuunt, suntque veri religiosi.

13 Nec satisfieret ingressu religionis planè collapsæ quo ad substantialia, & in qua communiter malè viuunt ejus possessores: nisi spes proximæ reformationis sit. Secùs si possessores obseruent pertinentia ad religionis substantiam, quamuis à pristino seruore, & perfecta regulæ obseruantia defecerint. Quia priori casu non meretur illa religionis nomen, nec est consilium illam ingredi, ob magnum ex impiorum sociorum familiaritate peruersionis periculum. At in posteriori consilium est, & ea vita sæculari præfertur. Ita docent *Major. in* 4. *d.* 38. *q.* 20. *col. penult. in solutione ad* 4. *contra primam conclusionem, Navarr. summæ c.* 12. *n.* 46. *Val.* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *puncto* 4. *qu.* 3. *vers. Ratio est, & vers. Quarta circumstantia, Man.* 2. *tomo summ. c.* 95. *n.* 3. Quod etiam colligitur clarè ex Auctoribus *n. seq.* citandis.

14 Ex quo deducitur, votum ingrediendi certam religionem, si ea quo ad substantia sit collapsa, nec spes proximæ reformationis sit, minimè obligare, secùs si substantialia seruentur, quamuis non ita districtè, ut regularis obseruantia petit. Quia in priori casu materia ejus voti est illicita ob peruersionis periculum, in posteriori autem est licita. Ita docent *Cajet. tomo* 1. *opusculorum, tractatu ultimo septimodecim responsionum, responsione* 7. *in fine, &* 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *column.* 3. §. *In eadem responsione dubium occurrit, vers. Sed quid si talis, Major. & Navarr. num. præced.* allegati, *Ovandus* 4. *addit. ad d.* 38. *post* 7. *propositionem, Petrus de Ledesma* 2. *tomo summ. tractatu* 10. *c.* 3. *dubio* 7. *casu* 5. *Ludovicus Lopez* 1. *p. instruct. c.* 44. *col.* 4. *vers. Monasterium non reformatum, Manuel.* relatus *nu. præced.* Quare immeritò *Emmanuel Sà summa, verb. Votum, in principio num.* 11. ait se non audere hoc affirmare. Imo illicitum est monasterium illud ita collapsum, nec proximè reformandum ingredi, quamuis id ab Ecclesia toleretur. Quod probat ratio allata periculi peruersionis. Et docent *Major. Navarr. Valentia numero præced.* alleg. *Lud. Lop.* proximè relatus. Et ideò benè *Navarr. eodem cap.* 12. *numero* 51. dicit peccare mortaliter parentes, qui filias educandas monasteriis ita collapsis tradunt.

15 Secundò deducitur, qualiter verum sit, quod tradit *Navarr. summ. cap.* 12. *numero* 36. nempe, peccare mortaliter, qui vouit non ingredi monasterium collapsum, si contra votum illud ingrediatur. Intelligendus enim est juxta dicta *duplici num. præced.* si collapsum sit, quod ad substantialia, nec spes sit fore, ut proximè reformetur.

16 Tandem dubitatur, an voto ingressus in arctiorem religionem satisfiat ingressu laxioris? Certum est hunc peccare ingrediendo laxiorem. Quia minus præstat, quàm promiserit, at ubi in laxiori professus est, manet omninò liber à voto strictioris. Utrumque expressè definitur *c. penultimo, de regular. in* 6. Et tradunt omnes. Atque erit mortale ingressus ille in laxiorem. Ut benè docent *Navarr. sum. c.* 12. *num.* 48. *Palacios* 4. *d.* 38. *disput.* 1. *post* 4. *conclusionem, fol.* 829. *column.* 1. *versic. Quam ob rem clarè*. Quod colligitur ex eo textu. Cum pro non impleto voto pœnitentiam injungendam decidat. At non implere votum in materia gravi, qualis est hæc, est mortale. Redditur autem ratio in eodem textu, cur professione emissa in laxiori religione, cesset votum simplex strictioris. Quia per votum solemne majus censetur derogatum priori voto simplici. Quæ ratio difficultatem habet, eò quod hæc vota non sint contraria, nec repugnent. Nam professio in laxiori obligat ad non descendendum ad inferiorem religionem, non tamen obligat ad non transeundum ad strictiorem. Si ergo non repugnant non cessabit id votum hac professione emissa. Sed respondet optimè *Cajet.* 2. 2. *quæst. ultima, art.* 8. *circa solutionem ad* 3. hæc duo vota repugnare quidem. Quia per professionem in laxiori tradit se profitens religioni, ita ut hæc in ipsum jus acquirat, dum vixerit. At tradi alteri in perpetuum cum obligatione id non implendi, sed transeundi ad strictiorem religionem, repugnat, quamvis non repugnet libertas in illam transeundi, propter conditionem tacitè in professione clausam, *nisi placuerit altior status*. Quæ ratio cum æquè procedat in voto ingressus in religionem strictiorem, ac in voto perseuerandi in illa; dicendum est utrumque votum extingui professione in laxiori religione, ac proinde in neutro casu teneri hunc professum transire ad strictiorem. Et ita docent *Palud.* 4. *d.* 38. *q.* 3. *art.* 1. *nu.* 11. & *q.* 4. *art.* 3. *num.* 32. *D. Anton.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 8. dicentes textum intelligi de eo, qui vouit perseverare in strictiori religione. Quippe is semper peccat profitendo in laxiori, etiamsi cum voto in ea profitendi ingrediatur. Quia cum in strictiori quoque teneretur profiteri, non implet totum quod promisit, sed in minus commutat. At quando nullum est votum profitendi in strictiori, sed tantùm ingrediendi, licebit quandoque in laxiori profiteri. Ut statim declarabimus, & præcipuè *nu.* 20.

18 Hinc deducitur primò, vouentem ingredi strictiorem religionem minimè delinquere, si id votum commutet in votum profitendi in laxiori, & sic laxiorem ingrediatur. Ratio est, quia ratione prioris voti non tenebatur perseverare, sed si experta religio strictior ei displiceret, posset egredi. At ratione posterioris tenetur perseverare in laxiori. Plus autem est teneri in hac perseverare, quàm illam ingredi ad experiendum, cum libertate non permanendi. Atque ita docent *Palud. utroque loco, & D. Anton. nu. præced.* allegati, *Sylv. summ. verb. Votum* 4. *qu.* 7. *dicto* 3. Et quamuis hoc non explicent, non existimo necessarium esse animum commutandi prioris voti in hoc posterius, ut hujus voti emissio licita sit. Nam cum hoc votum posterius sit melius non poterit prius votum illi emittendo obstare. Sicut qui promisit perpetuò inseruire xenodochio, ut licitè religionem ingrediatur, non eget voluntate prioris voti commutandi in ingressum, eò quòd illud non obligat, quatenus huic meliori impedimento est. Atque Doctores prædicti dicentes licitè emitti hoc posterius votum, tamquam de re meliori, nullius voluntatis commutandæ mentionem faciunt. Atque idem prorsus existimo de voto disjunctivo, vel perseuerandi in laxiori, vel ingrediendi strictiorem. Potest enim votum ingrediendi strictiorem commutari in hos disjunctivum. Cum hoc sit euidenter melius, eò quòd cortinet quidquid bonitatis est in priori, & addit obligationem ad partem alteram meliorem saltem sub disjunctione. Quare etiam absque ullo commutandi animo potest posterius hoc votum emitti ob rationem traditam.

19 Imò nullo voto perseuerandi in religione laxiori opus est, sed satis erit voluntas commutandi prioris voti ingressus strictioris religionis in perseverantiam in laxiori, aut sub

sub disjunctione in hanc perseuerantiam, vel ingressum strictioris. Quia eo ipso quòd hæc commutatio fit, transit vinculum voti illius ingressus in perseuerantiam in laxiori. Atque ita perinde est, ac de hac emittere votum. Et multò utilius est libertati vouentis, sic commutare non emittendo nouum perseuerantiæ votum in hac laxiori. Quia hoc nouo voto emisso, cum id sit nouum omnino vinculum à priori distinctum, & melioris boni, non poterit hic postea redire ad prius votum, quòd minoris boni erat, nisi eligat quoque perseuerare in strictiori, aut velit illam ingredi animo probandi, ut si placuerit, profiteatur, sin minùs, redeat ad posterioris voti perseuerantiæ in laxiori obligationem. At si absque nouo voto fiat commutatio in eam perseuerantiam in laxiori, poterit propria auctoritate redire ad prius votum ingressus in strictiorem. Ut probavimus *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 9. *num.* 21. Et sic satisfaciet ingrediendo strictiorem animo probandi, etsi non placuerit manebit omnino à voti obligatione liber, quamuis egrediatur. Atque adhuc tutius remedium erit commutare disjunctivè in perseverantiam in laxiori, vel ingressum in strictiorem; vel in disjunctiuum utriusque votum; quia non constat, sed sub opinione est, an liceat commutatione facta, redire propria auctoritate ad prius votum. At constat in hac commutatione disjunctiua licere quamuis ex illis partem eligere. Et licebit etiam non eligendo perfectè, & omninò perseuerantiam in laxiori, ingredi illam ad experientiam, an expediat eligere perseuerantiam in illa, ut si nolit in ea permanere, eligat alteram disjunctionis partem, nempe ingredi ad experiendam strictiorem, cum libertate exeundi, si non placuerit, ita ut exeundo maneat prorsus à voti nexu liber. Ut diximus *c.* 13. *nu.* 20. Quod intellige cum limitationibus, quas trademus *num. seq.*

20 Quinimò absque ullo voto perseuerantiæ, vel absque commutatione prioris voti ingressus in strictiorem; in perseuerantiam in laxiori licebit huic, qui strictiorem vouerat ingredi laxiorem cum proposito, aut perseuerandi in laxiori, aut si perseuerare non elegerit, animo ingrediendi strictiorem, prout promiserat. Quod ferè apertè docere videntur *Palud. utroque loco*, & *D. Anton. num.* 17. allegati. Et ratio est, quia nulla priori voto irrogatur injuria, cum illo non obstante liceat huic profiteri in religione laxiori, utpote quod melius est, quàm ingredi strictiorem cum libertate exeundi. Quare cùm hoc sit melius, non potest huic obstare votum ingrediendi strictiorem. Quòd si perseuerare nolit, manet in sua vi votum prius ingrediendi strictiorem. Nec obstat *c. penultimum*, *de regular. n* 6. decidens peccatè hunc profitendo in laxiori. Quia ut diximus *num.* 17. debet intelligi ille textus de eo; qui vouerat perseuerantiam in strictiori religione. Nam aliàs cogeremur dicere id votum impedire professionem in laxiori fieri, quæ majus bonum est. Hoc tamen duplici limitatione intelligendum est. Prior est, nisi religio illa strictior statutum haberet non admittendi eos, qui in aliam religionem ingressi essent. Tunc enim non liceret ingredi illam laxiorem absque obligatione perseuerandi in illa. Quia absque hac obligatione non solueretur melius; & assumitur status quo hic vouens redditur impotens ad ingrediendum strictiorem, quam vouerat, si in laxiori non profiteatur. Posterior limitatio est, nisi adesset tempus, vel accessurum esset tempore noviciatus, quo obligabat sub mortali votum ingressus in strictiorem. Tunc enim cum præcisè obliget votum illud strictiorem religionem ingrediendi, nec legitimè commutari valeat in ingressum in laxiorem absque perseverandi obligatione, erit peccatum mortale transgressionis illius non ingredi tunc strictiorem, vel commutare in perseuerantiam in laxiori, & sic ad illam obligari. At si nondum aduenisset id obligationis tempus, sed tempore nouitiatus explendum esset: posset adhuc ingredi laxiorem cum proposito accedente obligationis tempore, commutandi in perseuerantiam in ea laxiori, vel transeundi ad eam strictiorem, & interim experiendi, quid sibi plus expediat, dummodo id deliberet tempore sufficienti ad diligentiam procurandi ingressus in strictiorem, antequam impleatur tempus præcitæ obligationis. Quia ut dicemus *num.* 33. votum religionis ad hoc obligat. An verò postea profitendo peccet, dicemus *num. seq.*

21 Secundò deducitur, qualiter intelligendum sit, quod docent aliqui, nempe, qui emisso strictioris religionis voto ingressus est laxiorem, teneri ante professionem ingredi strictiorem. Quòd adhuc maneat vinculum prioris voti nondum per professionem dissoluti. Ita docent *Archidiaconus c. penult. ad finem*, *de regul. in* 6. & *ibi Joann. And. nu.* 1. *Dominicus num.* 5. *Francus num.* 1. *Navarr. summ. c.* 12. *n.* 48. *lib.* 3. *cons. tit. De voto*, *in* 1. *edit. consil.* 18. *num.* 1. *in* 2. *consil.* 26. *num.* 1. *Azor. lib.* 11. *instit. moral. c.* 22. *quæst.* 12. *Angles floribus* 2. *p. q. unica de voto*, *art.* 2. *diffic.* 17. Hoc enim intelligendum est in duplici casu. Prior est, quando id esset votum perseuerantiæ in strictiori religione. In hoc enim casu peccaret mortaliter, donec profiteretur in laxiori; professione autem facta, licèt in ea quoque emittenda peccaret mortaliter, ob rationem dictam, ut maneret deinceps liber à voto strictioris. Ut probavimus *num.* 16. Et ita tradunt *Palud. duplici loco*, & *D. Anton. numer.* 17. allegati. Posterior est, quam *numero præcedenti* explicuimus, nimirum, quando esset votum solius ingressus in strictiorem, at occurreret tempus, in quo id votum obligabat sub mortali. Ex tunc enim peccaret mortaliter, qui esset in laxiori, nisi promitteret perseuerantiam in illa; aut prius votum commutaret in perseuerantiam hanc. Quia ex tunc est in mora implendi voti strictioris religionis. At tempore, quo professionem emittit in illa religione laxiori, non peccat. Quia cùm ibi profiteri sit melius, quàm ingredi strictiorem cum exeundi libertate, præstat melius, quàm ex priori voto tenebatur. Quid autem sit dicendum, quando votum fuit ingrediendi Carthusiam, *si quam ingrediar*; dicemus *cap. vigesimo tertio num.* 41.

22 Hæc autem omnia intelligerem, quando religio illa laxior esset ex iis, quæ communem in cœnobiis vitam transgiunt. Quamuis enim vouens ingredi religionem strictam, si profiteatur in religione equitum D. Joannis, maneat prorsus liber à priori voto. Ut benè docet *Corduba summ. quæst.* 128. *ad finem*, & constat ex decisione *c. penultimi*, *de regul. in* 6. quam *num.* 16. retulimus; eò quòd illa sit professio verè solemnis. At credo vouentem ingredi religionem non satisfacere voto illi, commutando illud in professionem hanc. Quia ut diximus *n.* 13. religio hæc non est ex illis, quibus id votum impletur, nec tanti obsequii divini est illam ingredi cum obligatione ad profitendum: quanti est ingredi ad experiendam aliam viuentium in communi. Nec similiter posset commutari in ingressum cum obligatione perseuerantiæ, in religionem non reformatam, quo ad substantialia, nec proximè reformandam. Quia hæc quoque religio non est materia illius voti, imò est peccatum illam ingredi. Ut diximus *num.* 13. & 14.

23 Nec credo posse votum religionis commutari in votum castitatis perpetuæ. Quia etsi illud votum non obliget precisè ad perseuerandum; at ingredi religionem ad experiendum, & si experta placuerit, manendum ibi perpetuò, majus bonum reputatur, quàm perpetua alia quævis obligatio. Atque ita universi Auctores, quos viderim, asserunt quodcumque votum posse commutari in religionis ingressum.

24 Tertiò deducitur, omnia hactenus dicta de vouente ingredi strictiorem religionem, & ingrediente laxiorem, dicenda prorsus esse de vouente ingredi conuentum aliquem magis reformatum, & ingrediente alium ejus ordinis minùs notabiliter reformatum, quamuis sint eædem utriusque substantiales obligationes, ac sit transitus de uno in alium. Quare optimè *Corduba summ. qu.* 139. & *Manuel.* 2. *tomo sum. c.* 95. *num.* 3. *in fine* docent vouentem ingredi monasterium fratrum D. Francisci, quos Recollectos appellant, nudisque pedibus incedunt, peccare profitendo in monasterio fratrum ejusdem ordinis, quos Obseruantes vocant. Quod quidem intelligendum est eodem prorsus modo, & cum eisdem limitationibus, quas tradidimus à *num.* 17. circa vouentem strictiorem religionem, & ingredientem laxiorem, & in ea profitentem. Quia eadem prorsus est ratio. Addit autem benè *Corduba* hunc vouentem ingredi religionem Recollectorum, posse professionem apud illos emissa transire ad fratres Obseruantes, de licentia prælati habentis auctoritatem ad transferendos alios religiosos ad Obseruantes. Quia tantùm se adstrinxit voto ingrediendi in Recollectorum monasterium, nec priuauit se libertate, qua illi potiuntur, transeundi de licentia prælati ad Obseruantes. Addo quamuis votum perseuerantiæ apud Recollectos emiserit, id jam cessasse per professionem, quòd si post emissum sit, poterit à superiori irritari.

25 Hactenus autem dicta de peccato vouentis strictiorem religionem, & ingredientis laxiorem, sunt intelligenda, nisi ea religio laxior Pontificio privilegio fruatur admittendi eos, qui strictiorem vouerant. Quod ob aliquas speciales causas poterit Sedes Apostolica concedere. Et tunc, qui innixus illi priuilegio ingrederetur eam religionem laxiorem, non esset reus voti strictioris religionis. Ita *Azor. lib.* 11. *instit. moral. c.* 22. *qu.* 12. *in initio*.

26 Demum restat dicendum de eo, qui post votum simplex certæ religionis, in aliam æquè arctam se recepit. Quidam dicunt id non posse propria auctoritate fieri. Ita *Navar. commentario* 4. *de regul. n.* 10. *Azor. ea q.* 12. allegata *num. præc.* At hoc intelligendum est, quando non certò constat ea æqualitas. Quia (ut agentes de votorum commutatione dicemus) votum potest propria auctoritate in evidenter æquale commutari.

SUMMARIUM.

An vovens ingredi certam religionem, nec potest illam ingredi, aut non admittitur, teneatur ad aliam? Refertur quædam opinio, nu. 27.

Explicatur sententia Auctoris, nu. 28.

An si tempore voti intendit specialem ingredi, teneatur ad illam? num. 29.

Unde dignoscatur, an fuerit intentio limitata ingrediendi specialem? nu. 30.

In dubio qualis fuerit intentio, quid censendum? Refertur duplex sententia, nu. 31.

Proponitur sententia Auctoris, nu. 32.

Vovens religionem tenetur adhibere moralem diligentiam, ut admittatur, & explicatur intra quod tempus, nempe, an quando est tempus determinatum implendo voto, satis sit ultima die petere religionem, nu. 33.

An satisfaciat nutibus, aut verbis, aut media tertia persona significans se nolle admitti? Et quid, si exterius non explicetur & illa voluntas sit mortalis? num. 34.

An possit, & teneatur hic explicare aversionem à religione, & alia impedimenta difficiliorem ingressum reddentia? numero 35.

An possit non petere ingressum, si impedimentum, aut morbum habeat? nu. 36.

An vovens religionem determinatam, & incurrens morbum Galticum, aut alium, ob quem est ineptus laboribus illius, maneat liber? nu. 37.

An liberetur, eò quòd credat religionem non fore sibi proficuam? num. 38.

Explicatur, qui criminosi sint inhabiles ad religionum ingressum, juxta constitutionem Sixti V. *nu.* 39.

An peccet in votum religionis, hæc impedimenta incurrens, aut debita contrahens, quibus redditur ineptus ingressui? numero 4-.

An hæc crimina committens teneatur statim ingredi, antequam de his accusetur, & fiat inhabilis? nu. 41.

Qui promisit totum orbem se peragraturum, donec religionem se recipientem inveniat, ad quid teneatur? num. 42.

An vovens religionem teneatur sola finitima cœnobia intentare? Refertur quædam sententia, nu. 43.

Explicatur sententia Auctoris, nu. 44.

Quid de locis diversæ linguæ eidem regi subjectis? nu. 45.

An teneatur extra propriam civitatem, etsi vovens sit fœmina? nu. 46. *Et ibi, quid si commoditas extra patriam superveniat, vel extra regnum?*

Quot religiosorum monasteria teneatur hic adire? numero 47. & 48.

An si in solam strictissimam religionem admittatur, teneatur ad illam? nu. 49.

Quid, si vovit ingredi religionem laxam, & postmodum reformetur? nu. 50.

An in nullam aliam admissus teneatur ingredi religionem equitum D. Jacobi, Alcantarę, Calatravę, aut D. Joannis, aut clericorum ordinum militarium, aut canonicorum regularium? nu. 51.

An hic maneat liber, si non admittatur à generali, vel provinciali, vel superiori immediato conventus? nu. 52.

Quid, si causa non admittendi sit temporalis? nu. 53.

An teneatur manifestare suum votum, ut admittatur; n. 54. *Et ibi, an teneatur quærere intercessores?*

An vovens, ut sit sacerdos, & non admittitur, nisi ut sit laicus, vel è contra, teneatur ingredi; nu. 55.

Quid, si de neutro statu cogitavit; nu. 56.

Quid, si dubius sit; nu. 57.

Quid, si tantùm admittatur, ut Grammaticam discat, & choro inserviat; nu. 58.

Quid sit, cum spurius ignoravit constitutionem Sixti V. *reddentem eum inhabilem ad ordinis dignitates; nu.* 59.

An doobliget votum religionis, si petatur à vovente, ut Grammaticam discat, vel officium, aut alias artes; à numer. 60. *ad* 60.

An vovens certa religionis ingressum, & absque spe admissionis repulsus, vel vovens religionem in genere, & facta sufficienti diligentia non admissus, vel ex falsa informatione, teneatur ingredi, si postea velint religiosi eum admittere? Refertur quædam sententia, nu. 70.

Proponitur sententia Auctoris, nu. 71.

Quid, si non est admissus, quòd litterarum, aut officii ignarus erat, & postea hoc didicit; nu. 72.

Quid, si quando voluit religiosi eum admittere, est jam novitius in religione laxiore, aut matrimonium iniit; numero 73.

Post num. 73. *invenies alia summaria.*

27 QUæstio tertia. Ad quam diligentiam obligetur vovens religionem, ut ad illam admittatur, & quando non admissus liber à voto maneat? *Palud. d.* 38. *q.* 4. *art.* 1. *num.* 12. ait vouentem determinatam religionem, nec in eam admissum, vel eam non potentem ingredi, eò quòd jam reprobata sit, vel ob quamcumque rationem teneri aliam ingredi. Ducitur, quòd cum manere in sæculo repugnet religionis voto, hoc emittens voueat implicitè sæculum dimittere. Ergo tenetur mòdo sibi possibili à sæculo recedere, ingrediendo quamuis aliam religionem, si in specialiter promissam non admittatur.

28 Prima tamen conclusio sit. Si quis primariò, & principaliter vouerit religionem in uniuersum, seu vagè, & indeterminatè, & secundariò eligat aliquam specialem religionem, seu conuentum, si non admittatur in hæc secundariò electa, non liberatur voti obligatione, sed tenetur alias religiones, aliosue conuentus adire. Si autem primariò, & præcipuè vouerit religionem specialem, aut specialem conuentum, ob specialem ad hæc affectum, si ingressus in eam religionem, aut illum conventum reddatur impossibilis, quia vel vovens non admittitur, vel illa periere aut reprobata sunt, liber à voto manet, nec tenetur alias religiones, aliosue conuentus adire. Ratio prioris partis est, quia adhuc non est impossibilis executio voti; cum religio in uniuersum promissa primariò sit, & quæ supersunt adhuc petendæ sint religiones. Ratio autem posterioris partis, & simul solutio contrariæ rationis est. Quia licèt in voto ingressus peculiaris religionis claudatur virtute dimissio sæculi; at ea non clauditur absolutè, sed dependenter ab ingressu illius religionis, vel conuentus. Si ergo is ingressus reddatur impossibilis, cessabit obligatio accessorii *Regula Accessorium*, *de regul. juris*, *in* 6. Et ita docent *D. Thom.* 2, 2. *qu.* 88. *art.* 3. *ad* 2. & 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 1. *ad* 6. *ubi Ricardus art.* 5. *quæst.* 1. *ad* 2. *Carthusianus quæst.* 2. *Archidiac. c. Scimus* 12. *quæst.* 1. *num.* 3. *Altisiodor. l.* 3. *sua summa*, *tract.* 22. *c.* 2. *qu.* 2. *D. Antoninus* 3. *p. tit.* 16. *c.* 2. §. 4. *Turrecrem.* 17. *q.* 1. *in summ. art.* 4. *ad* 4. *num.* 11. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. *Abulensis c.* 30. *Num. q.* 51. & 52. *Rosella verbo Religio* 3. *nu.* 1. *Angelus verbo votum* 3. *num.* 10. *Sylvest. verbo Religio* 2. *quæst.* 16. *Armilla verbo Votum*, *num.* 18. *Cajet. tomo primo opusc. tractatu septemdecim responsionum in responso* 7. *in fine*, *Sotus lib.* 7. *de justitia*, *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *versic. In his ergo*, *Navarr. summ. c.* 12. *num.* 46. & *lib.* 3. *consil. tit. de voto*, *in* 1. *editione*, *consil.* 2. *nu.* 1. & 2. *in* 2. *consil.* 28. *num.* 1. & 2. *Palacios* 4. *d.* 38. *disput.* 1. *post* 4. *conclusionem*, *fol.* 826. *column.* 2. *Aragon.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 3. *ad* 2. *fol.* 993. *column.* 1. *Toledo libro* 4. *summ. c.* 17. *nu.* 12. *Ludovicus Lopez* 1. *parte instruct. cap.* 44. *column.* 1. *penul. versic. Licèt vovens*, *Manuel.* 2. *tomo summ. c.* 95. *num.* 4. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 4. *column. penult. vers. Secus autem judicandum*, *Azor. l.* 11. *institut. moral. c.* 22. *q.* 1. *Philiarcus de offic. sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 21.

29 Secunda conclusio. Si vouens non solùm religionis ingressum in voti objecto posuerit, sed ingressum quoque religionis cujusdam determinatæ, tenetur priùs conari, ut admittatur in illam determinatam, & non admissus tenetur aliam ingredi. Ratio est, quia virtute est duplex votum; alterum religionis vagè, & in universum, alterum autem hujus. Ergo si utrumque impleri potest, implendum utique est, nitendo in specialem illam ingredi, & quando id est impossibile, quærendo aliam. Ita docent *Armilla*, & *Sotus numero præcedenti* allegati. Hoc tamen duplici limitatione intelligendum est. Prior est, quando illa religio specialis est cæteris strictior. Nam si alia strictior sit, potest illa tamquam melior eligi. Posterior est, quando intentio illa religionis electæ comprehensa est sub voto. Ut diximus *cap.* 11. *numero* 5. ubi etiam diximus quid in dubio, antea intentio comprehensa sit sub voto.

30 Ad discernendum autem, an intentio vouentis fuerit limitata ad aliquem specialem conuentum, ita ut ab illo exclusus non teneatur alium adire, est maximè obseruandum cum *Cajetan.* allegato *numero* 28. distinguendum esse inter principale intentum, & motiuum. Sæpè enim stat, ut motivum vouentis ad peculiarem religionem, vel monasterium, sit devotio ad Dominam nostram, eò quòd ejus nomine appelletur id monasterium, aut peculiarem ejus imaginem habeat, aut conversatio cum quibusdam religiosis, grata loci amœnitas, & hujusmodi. At intentum non sit limitatum ad hunc locum. Cujus non leve signum erit, si vouens norit religiosos illius conuentus frequenter domicilium mutare alios adeundo. Quia intendere videtur instar aliorum religiosorum esse, quamuis à tali loco deuotio religionis initium sumpserit.

31 Quòd si adhuc dubium sit, qualis fuerit vouentis intentio, num, scilicet, religionis in universum, an potiùs alicujus determinatæ; dicunt communiter Doctores teneri vouentem eligere, quod tutius est, ne parte minùs tuta electa, se infringendi voti periculo exponat. Ita docent *D. Thomas* 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 1. *ad* 6. & *ibi Carthusianus q.* 2. §. *Insuper*, *Turrecrem.* 17. *q.* 1. *in summa art.* 4. *ad* 4. *num.* 11. *Rosella verbo Religio* 3. *num.* 2. *Angelus verbo Votum* 3. *num.* 12. *Sylvest. verbo Religio* 2. *quæst.* 16. *Armilla verbo Votum*, *num.* 18. Sed nullus horum præter *Angelum* explicat, quæ pars in hoc casu tutior sit. Hic autem dixit tutiorem & eligendam esse, ut tunc vouens se reputet indeterminatè religionem promisisse: ac proinde, ut exclusus ab una, teneatur alias adire. Sed hæc pars non in universum est tutior. Nam si agatur de exemptione vouentis à voti obligatione, eò quòd in peculiarem illam religionem penitus non admittatur, tutior pars est, ut censeatur vouisse religionem vagè, & indeterminatè, ut judicetur obligatus virtute illius voti ad quærendam aliam religionem. Si verò agatur de vouentis obligatione ad ingrediendum religionem aliquam strictiorem, in dubio, an vouerit illam determinatè, vel religionem in communi; tutior pars est, ut illam determinatè vouisse censeatur. Ne integrum illi sit religionem laxiorem ingredi, cum periculo fractionis voti religionis strictioris. Et ideò sententia hæc difficultatem habet, quia juxta illam in utroque hoc dubio diuersimodè sentiendum est circa partem tutiorem eligendam. Præterea, quia eligere tutius non est semper præceptum. Ut diximus *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. Et ideò aliqui Neoterici censent in hoc dubio fauendum potiùs libertati vouentis. Ducuntur, quòd voti obligatio sit strictè interpretanda, ut minus obliget. Ut diximus *hoc lib.* 4. *c.* 11. *num.* 3. Sed hæc quoque sententia similem confusionem patitur, ac præcedens. Si enim hic fauor spectandus sit est diuersimodè in utroque casu posito judicandum. Nam in priori fauetur magis libertati vouentis, explicando ut determinatam religionem vouerit, ut vel sic ad illam non admissus liber maneat. At in posterio-

steriori magis favetur dicendo esse votum religionis vagè, ne cogatur ille strictiorem ingredi, aut aliquam specialem erga quam fortè jam malè affectus est. Quare hæc sententia hanc confusionem non soluit, nec ejus fundamentum utrique casui aptari valet.

32 Et ideò sic distinguendum censeo. Triplex hujus dubii casus accidere potest. Primus est, quando vouens certus est se peculiarem religionem, peculiaremve conuentum promisisse, at dubitat, an sola illa vouerit, an potiùs simul religionem in communi. Et in hoc dubio credo judicandum solam illam religionem, illumve solum conuentum promissa esse. Et hoc probat ratio secundæ sent. *num.praced.* allata. Item, quia sicut se habet voluntas totius obligationis ad totam obligationem, ita uoluntas partis ad partem. Quod enim juris est de toto quo ad totum, idem juris est, & esse debet de parte quo ad partem, *l. Quæ de totæ, in principio, ff. de rei vindicat.* & ea multis probat *Everardus in suis topicis, loco de toto ad partem num.* 2. At quando dubitatur de tota voti obligatione, judicatur in favorem libertatis vouentis, ut ad nil teneatur. Ut diximus *c.1. num.*16. Ergo ubi dubitatur de parte obligationis voti, judicandus est ab ea liber vouens. Secundus casus est, quando vouens neutrius partis certitudinem habet, sed omnino dubius est, an religionem peculiarem vouerit, an in communi; at meminit verborum voti, siue interiùs siue exteriùs prolatorum & ea clarè vim voti indicant, dubiumque oritur ex vouentis intentione, de qua non constat. Et in hoc dubio judicandam credo obligationem juxta communem verborum sensum. Quòd is clarus sit, intentio autem dubia; & ideò votum in hoc dubio possidet juxta illorum sensum. Cum vota in dubio interpretanda esse juxta communem verborum intellectum, probauerimus *c.11. num.*29. Ultimus casus est, quando in hoc dubio, & neutrius partis certitudine, vouens non meminit verborum, aut de iis etiam dubius est, aut si meminit, ea prorsus dubia sunt, quem ex illis sensum liabeant, utrumque enim æquè admittunt. Et in hoc casu veram esse existimo sententiam priorem *num.praced.* relatam, ut eam intellexit *Angelus*; nimirum, ut judicetur ea voti obligatio ad religionem vagè, & indeterminatè. Non ducor autem fundamento illius sententiæ, quòd hæc pars sit tutior. Nam (ut *ibi* probaui) nec semper est tutior; nec semper, quod tutius est, amplecti oportet. Sed ducor, tum quia volentes dimittere sæculum solent frequentiùs votere religionem vagè, & ideò à frequentiori vouentium usu præsumitur in hoc dubio votum sic emissum; tum etiam, quia hoc per se, & ex ipsa rei natura potiùs fauet libertati voluntatis vouentis, quam secluso omni voto possidet. Nam est graue onus eam ad religionem specialem, aut conuentum specialem arctari, & maximè fauetur ejus libertati, concessa electione. Ea quamuis hoc per accidens, & in casu raro cedat in ejus libertatis detrimentum: quia si in illam religionem, eumue conuentum non admittatur manet omnino liber à voti obligatione, si id votum in hoc dubio de sola illa religione, illoue conuentu explicaretur; hoc tamen non ita spectandum est, ac id quod per se, & in plurimum redundat in vouentis utilitatem.

33 Tertia conclusio. Votum religionis ligat vouentem ad faciendum, quantum in se est, ut ad religionem admittatur. Et ita docet *D. Thomas* ab omnibus receptus 2.2. *quæst.* 88. *art.*3. *ad* 2. *& quæstione ultima, art.* 3. *ad* 2. Quod intelligitur de diligentia morali, & humano modo possibili: Ut constabit ex corollariis hinc inferendis. Et ratio est, quia obligatio religionis est res grauissima; ac proinde adstringere debet ad diligentiam humano modo possibilem; qualem petunt res arduæ, & magni momenti. Atque hæc diligentia tempore debito adhibenda est. Quare qui promisit tempore determinato se ingressurum religionem, ut intra hunc annum, vel certa die, non satisfaceret huic voto illa die, aut ultima illius anni, petendo se admitti in religionem. Quia numquam eadem die potest admitti, eum examen, & informationes debeant præcedere; & consulere prouincialem, aut conuentum, & experientia perseuerantiæ petentis. Quæ unica die peragi nequeunt. Quare tenetur anticipare petendo à tempore necessario juxta illius religionis constitutiones, ut admittatur intra tempus voto destinatum. Sicut obligatus ad sacrum audiendum die festo, non satisfaciet, quacumque hora usque ad meridiem adeundo templum, sed tenetur ire hora, qua moraliter inveniitur sacrum in eo oppido. Et sicut, qui tenetur intra hunc annum ad sacerdotium promoueri, non satisfaciet eundo Sabbato ipso ultimo quatuor temporum illius anni, ut ad sacerdotium promoueatur. Quia nullus sic ad ordines admittitur, sed tenetur ire tempore necessario examini prævio.

34 Hinc deducitur primò, non satisfacere illum huic voto, si fictè, & simulatè petat admitti, ita ut oretenus sit petitio, nutibus tamen, aut verbis, aut ipso petendi modo vel media alia persona significando se optare non admitti. Quòd hoc longè distet à morali diligentia necessario ad sui admissionem apponenda; & est petitionis simulatio. Et ita docet *commentum* 4. *de regular. numero* 14. Et in simili probauimus de promittente factum alienum, *libro* 2. *de matrim. disp.*24. *num.* 12. Votum enim hoc ex facto alieno pendet; nempe, ex admissione ipsius per religiosos facienda. Et idem clarè tenent *Sotus lib.*7. *de justit. quæstione* 2. *art.* 1. *ad* 3. *versic. Sed est dubium, Azor, lib.*11. *institut. moral, cap.*22. *quæst.*9. *Petrus de Ledesma* 2. *tomo summæ, tract.* 10. *cap.* 3. *dub.*5. ubi dicunt teneri hunc bona fide petere religionem. Quando autem exteriùs nullo modo significaret vouens interius suæ repulsæ desiderium, satisfaceret voto. Et ita clarè indicat *Navarr. eo num.*14. dum dixit non sufficere petere saltem indicando exteriùs se nolle recipi. Et ratio, quia sic petitus, & denegatus ingressus redditur impossibilis, nec prava illa voluntas interiùs manens operata est ad impediendam admissionem, cum ea omnino religioso latuerit. Nec hoc suæ repulsæ desiderium esset mortale, sed veniale non existente justa ejus desiderii causa. Et ita intelligendus est *Navarr. eo num.* 14. dicens teneri hunc petere religionem cum justo suæ admissionis desiderio. Ratio autem est, quia licèt quicumque tenetur ad aliquid, teneatur illud exequi desiderare non habere justam excusationis causam, qualis est non admitti in religionem. Cum tamen omnia media admissioni necessaria adhibeat. Sicut obligatus ad jejunandum, vel sacrum audiendum, non delinqueret mortaliter desiderans causam justam excusantem.

35 Nullam tamen culpam admitteret, si ut religiosi judicent, an expediat illum admitti, explicet bona fide illis auersionem suam à religioso statu, proponens tamen viribus se enixurum illum amplecti. Sicut nec teneri alia impedimenta, etsi non essentialia religionis amplectendæ tacere: Quia semper debet præsumere religiosos cujuscumque ordinis nullum refutaturos, nisi prudenter judicando id potiùs ad Dei obsequium, & bonum religionis expedire. Et huic officio cooperatur ille propria vitia, & impedimenta detegens, dummodo bona fide, & absque nimia exaggeratione id faciat. Nec votum potest obligare ad hæc tacenda, utpote quod non obligat ad minus bonum. Nec tamen tenetur non interrogatus hæc impedimenta exprimere, nec etiam interrogatus, si occulta sint, nec contra substantiale religionis institutum, nec timetur, fore, ut umquam religioni nocant. Quia in his casibus tenetur, quantumuis occulta sint, & in proprii honoris jacturam, ea exprimere, vel à religionis petitione desistere. Quia ut latè probauimus *lib.*3. *de matr. disp.*14. *nu.*2. & aliis citatis docet *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disput.* 168. *c.* 6. *num.*48. quando non proceditur ad alicujus delicti punitionem, sed ad obviandum damnis ex tacito impedimento subsecutis, tenetur interrogatus fateri, aut à re intenta desistere, quamtumuis occultum sit.

36 Imò laborans impedimento aliquo perpetuo admissionis ad religionem, quod vel quando vouit non consideraut, vel postea incurrit, liber est omnino à voto. Ut si se neophytum norit, & vouit religionem, ad quam illi non admittuntur, aut si postea morbum perpetuum, aliudve impedimentum perpetuum patitur, quibus congitis nullatenus admitteretur. Secùs si impedimentum sit temporale. Ut febris quartana. Ita *Sotus lib.*8. *de justit. quæst.*2. *art.*1. *ad* 3. *versic. Ex his quæ dicta sunt, Aragon.* 2. 2. *qu.*88. *art.* 3. *ad* 2. *fol.*993. *columna secunda.* Quod intellige rem, quam in impedimento illo difficillimè, aut numquam dispensatur in religione promissa. Tunc enim siue scierit, siue ignoravit impedimentum ad esse tempore voti emissi, liber est à voto. At in utroque casu teneretur id intentare impedimento manifestato, quando solet facilè in eo dispensari, nec aliqua infamiæ nota eo detecto incurritur. Quia etsi id tempore voti ignorarit, non est notabilis mutatio, nec notabilis difficultas denuo cognita.

37 Quare benè dixit *Manuel.* 2. *tomo summæ c.*95. *numero* 5. vouentem religionem fratrum D. Francisci nudis pedibus incedentium, liberari obligatione, si morbum Gallicum incurrat, quamuis ad pristinam sanitatem restitutus jam sit. Quia laborantes hoc morbo numquam perfectam sanitatem adipiscuntur, sed debiles manent, & præcipuè ad laicorum labores, si laici debent esse. Et frigus ex pedum nuditate consurgens valde morbo huius aduersatur. Ad hoc intelligerem, nisi in casu peculiari ita integram sanitatem ille recuperasset, ut morbus præcedens non afferret hoc impedimentum. Quare medicos peritos consulere teneretur, & eorum consilio stare. Et idem censeo de quocumque alio morbo, & quacumque alia religione, si morbus sit talis judicio medicorum, ut reddat vouentem ineptum ad illius religionis labore. Et hoc, siue morbus ille præcesserit votum, siue postea aduenerit, nec perfecta illius sanitas recuperari soleat. Quia eadem est ratio. Quando tamen dubium est, an morbus sit talis, non excusaretur à voto, cujus obligatio est certa, & excusatio dubia; sed deberet morbum religiosis manifestare, ut ipsi videant, an cum eo dubio expediat ipsum admittere. At secùs esset, si medici judicarent illum exponi grauissimo sanitatis amittendæ periculo, & in pristinum morbum incidendi periculum. Quippe votum cum tanto periculo non obligaret, sicut nec præcepta Ecclesiæ, instarque eorum obligat. Ut diximus *capit.* 11. *numero* 31.

38 Non tamen excusaretur quispiam, eò quòd crederet religionem non sibi proficuam fore, vitique prudentes judicent consultius sibi esse religionem non ingredi, quòd sit valdè inconstans, vitiisque deditus, nec speratur fore, ut continere possit. Quia quamuis in his casibus melius sit huic religionem non ingredi, ac proinde videatur obligatio cessare. At votum religionis ejus est excellentiæ, ut tunc obligare non desinat. Ut probauimus *c.*8. *num.*10. Præterea, quia

quia ad hoc concessus est jure annus novitiatus, ut vovens hic experiatur, an religionis onera ferre possit, & illi aptari. Tenebitur ergo ingredi bona fide ad experiendum, solet enim Deus subitò cor mutare.

39 Secundò deducitur, quid in ea quæstione dicendum. An in religionis votum delinquat, qui ære alieno gravatur, aut crimina patrat, ob quæ religionis ingressus sibi interdictus est, per motum proprium Sixti V. de non admittendis ad religionem criminosis. Præmittendum est ex secundo motu proprio ejusdem, quem in primi declarationem edidit, *post medium §. contra criminosos verò*, tunc, & non aliter criminosum esse inhabilem, ut in religionem admittatur, quando actis publicis constiterit judicem sæcularem ante habitus susceptionem adversùs eum accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse. Quare ut sit inhabilis, debet triplex conditio concurrere. Prima, ut actis publicis constet accusatio, vel inquisitio illius. Secunda, ut in particulari sit contra eum inquisitum. Quippe quando tantùm in communi, non est contra eum inquirere. Tertia, ut sit ante habitus susceptionem, & coram judice sæculari. Si enim eo suscepto esset accusatio, vel inquisitio, aut antea coram solo judice Ecclesiastico, non esset impedimentum. In eo autem motu proprio assignantur, quæ nomine criminum comprehenduntur, nempe, furta, latrocinia, & his similia, & homicidia. Si tamen post commissa crimina reus ille absolvatur à judice sæculari, eò quòd probata non sint, vel quavis alia de causa, ita ut in posterum nulla religionis molestia timeatur, erit habilis religioni criminosus ille. Quia dum criminosos hos reddit inhabiles ille motus proprius, temperat, quando damnati sunt, vel formidatur, ne damnentur. Quare virtute voti religionis tenebitur criminosus hic mediocri adhibita diligentia, & mediis licitis procurare hanc absolutionem, & illa obtenta votum exequi. Insuper redduntur in eo motu proprio inhabiles, gravati ingenti ære alieno, donec solvant. Et quamvis Clemens Octavus adiderit motum proprium anno 1602. derogans huic, at solùm derogavit, quatenus horum omnium professiones irritavit. Quare adhuc perseverat, hos criminosos, aut ingenti ære alieno gravatos non posse ad religionem admitti.

40 Hoc supposito dicendum est peccare contra religionis votum, qui hujus constitutionis conscius hæc crimina perpetrat, cum iis circumstantiis, ut sit probabile periculum fore, ut accusetur coram judice sæculari, ante habitum religionis susceptum, si advertat iis religionis ingressum impediri. Et similiter peccabit, qui idem sciens, & adverens ære alieno gravatur ad splendidè vivendum, vel ad ludos, quando non est solvendo, etsi non faciat in voti fraudem. Ratio est, quia admittens scienter impedimentum implendi voti, peccat contra votum. Ut benè docent *Hostiensis summa, tit. De voto, num.*14. *Angelus verbo Votum* 2. *num.*12. *Sylv. verbo Votum* 3. *in fine*, Imò, etsi contrahat debita hæc ob urgentem vitæ necessitatem, peccat contra votum, si tunc teneatur, & possit ingredi, & eo ingressu cessabit ea necessitas. Et idem dico, quando nondum accessit obligationis tempus, & videt inde parari sibi impedimentum ingressus accedente tempore, & potest tunc ingredi, cessabitque necessitas. Quia ut probavimus *cap.*14. *num.*18. tenetur prævenire tempus, qui novit tempore obligationis futurum impedimentum, & potest commodè prevenire.

41 Quare ejusmodi crimina admittens tenetur citissimè ingredi religionem, ne fiat inhabilis, si priùs accusetur. Quia timens impedimentum perpetuum ad votum exequendum, tenetur statim id exequi. Ut probavimus *capit.* 14. *numero* 17.

42 Tertiò deducitur, quid sentiendum sit circa monasteriorum numerum, quæ adire tenetur religionem vovens, nec in unum admittitur. Qua in re duplex potest esse difficultas. Prior est, an absolutè religionem vovens, aut tantum: Verbi gratia, Dominicanam, non arctans se ad monasterium speciale, teneatur finitima sola religiosorum cœnobia adire, quando nil de voventis intentione speciali constat. Si enim constaret intentionem ejus fuisse se obligare ad extra suam quoque nationem eundum, ad quærendam religionem volentem eum admittere, teneretur utique. At si ejus animus fuit obligare se ad sola finitima monasteria adeunda, non teneretur in ea non admissus, externa petere. Quando ergo de neutra intentione constat, est præsens quæstio. Et tunc constat non teneri hunc totum Christianorum orbem peragrare, ut in religionem admittatur. Ut benè docent *Angelus verbo Votum* 3. *num.*10. *Sylvester verb. Religio* 2. *quæstione* 16. Imò, etsi vovisset se totum orbem peragraturum, donec admittatur, non teneretur ad id. Quia hujusmodi votum esset stultum, & de re impossibili. Quare tantùm obligaretur ad id, quod prudentia dictat, nempe, ad bonam orbis partem peragrandam, qua peragrata judicaretur prudenter fore, ut inde repullus repelleretur ab aliis. Quod benè docuit *Palacios* 4. *d.*38. *disp.* 1. *post* 4. *concl. fol.* 827.

43 Tota ergo difficultas est, cessante speciali voventis intentione. Quidam censent non admissum à finitimis monasteriis, teneri ad remotiora etiam externa se conferre, si spes probabilis subsit fore, ut ab illis admittatur. Quòd hic religionem voverit, non limitando intentionem suam, Ita docet *Navarr. summ. cap.* 12. *num.*48. *& lib.*3. *consil. tit. de voto, in* 1. *editione, consilio* 2. *num.*3. *in* 2. *consil.*28. *numer.*3. Idem expresè sentire videtur *Abulensis cap.* 30. *Numer. quæstione* 52. *in fine*, ubi ait teneri hunc omnia religionis promissæ monasteria adire. Et *Palacios* 4. *dist.* 38. *disputat.* 1. *post* 4. *conclusionem, fol.*827. *columna* 1. ubi dicit teneri hunc adire universa, quæ potest juxta suam facultatem. Idem tenent attento rigore *Cajet. & Angles*, quos *num. seq.* referam.

44 At prorsus dicendum est non teneri extra proprium regnum adire, ut admittatur. Quia nemo obligatur, nisi ad moralem exequendi voti diligentiam. At non est in more, ut quis adeat distinctas nationes causa ingressus religionis, nec id vovere solet. Ergo tamquam modus extraordinarius, & excedens moralem diligentiam, & communem voventium intentionem, & consuetudinem, is non obligat, utpote qui in ea communi voluntate non includitur. Præterea, quia difficultas magni momenti non cognita, nec prævisa à vovente, ac præter ejus opinionem superveniens, excusat à voti obligatione. Ut diximus *c.*2. *an.* 22. Hæc autem est talis, nullus enim vovens existimat se in sua natione non admittendum: & omnes difficillimum existimant ad extraneas causa ingressus se conferre. Et ideò hanc partem tuentur *Sotus libro* 7. *de justit. qu.*2. *art.*1. *ad* 3. *versic. Sed est dubium, Navarr. summa Latina, in ultima editione, cap.*27. *numer.* 276. *Aragon.* 2. 2. *quæst.*88. *art.*3. *ad* 2. *fol.* 993. *columna* 2. *Emmanuel Sà summa, verbo Votum, in principio num.*12. *Azor. libro* 11. *instit. moralium c.*22. *quæst.*1. *in fine, Toledo lib.*4. *summa, c.*17. *num.*12. *Valentia* 2.2. *disp.*6. *q.*6. *punct.* 4. *columna penultima, notabili* 4. *Manuel.* 2. *tomo summæ, c.*95. *num.*5. *Petrus de Ledesma* 2. *tomo summæ, tract.*10. *c.*3. *dubio* 5. *Philiarcus de officio sacerdotis, tomo* 1. *part.*2. *lib.*3. *c.*21. Et idem tenent attenta communi voventium consuetudine, quamvis contrarium esset dicendum attento voti rigore, *Cajet.*2. 2. *q.*88. *art.*1. *column.*3. *vers. In eadem responsione dubium occurrit, Angles floribus* 2. *parte quæstione unica de voto, art.*2. *difficult.* 5. Et quamvis aliqui horum Doctorum dicant non teneri hunc procurare ingressum extra provinciam suam. Hi sunt *Angles, Azor. Emmanuel Sà, Petrus de Ledesma*. At apertè nomine provinciæ intelligunt nationem, seu regnum: nam utramque vocem confundunt.

45 Atque idem credo de locis eidem regi subjectis quando diversæ sunt linguæ morumque diversorum, ac legum. Ut vovens Castellanus non tenetur adire Indos, Lusitanos, Valentinos, aut Cantabros, etsi nullibi admitteretur, ac certus esset se ibi admittendum. Quòd per accidens loca hæc eidem regi subjiciatur; & utuntur diversis moribus, diversaque lingua; & est notabiliter difficilius Castellano, ibi habitum assumere, quàm apud suos. Et ita videtur apertè sentire *Sotus numero præcedenti* allegatus, dicens non teneri hunc religionem procurare, nisi intra regnum, & linguam.

46 Imò *Toledo, & Philiarcus num.* 44. allegati dicunt tantùm hunc teneri in propria civitate, vel prope; nec oportere hunc peragrare provinciam. Sed hec in solis fœminis voventibus religionem admitterem. Quia communiter non solent propria patria egredi, ut ad religionem admittantur. Et ita rectè *Cajetanus num.*44. allegatus dixit adolescentulam, vel viduam, quæ vovit religionem, & non admittitur in sua patria, vel prope, & quiescit patienter reputando sibi impossibilem rem promissam, non teneri alia loca adire, ut recipiatur. Quia satis facto suo obtendit se noluisse ad alia loca adeunda se obligare. Imo idem credo, etsi illa fortè scrupulis agitata non quiescat. Quia ex communi voventium fœminarum usu colligitur earum mentem esse noluisse se ad alia loca adeunda obligare; sed sub ea tacito conditione, si in sua patria aut in loco ita patriæ vicino admittantur, ut possit dici admitti in sua patria. Atque idem intelligerem, etsi locus distet, si ita illi fœminæ voventi commodus sit ille ingressus, ac in sua patria. Quia habet etiam ibi multos consanguineos, sibi necessaria subministraturos, & illuc in religionem ingredi est perinde, ac in patria sua. Si tamen tempore voti hæc commoditas non erat, quamvis postea superveniat in loco remoto à sua patria, quia fortè casu illuc cum consanguineis suis mutavit domicilium, existimo illam liberam esse à voto, si in sua primæva patria, vel prope non admittatur. Et idem intelligo de viro, non enim tenetur ad exteras nationes proficisci causa assumendi status religiosi promissi, quando intra suam non admittitur; nec si postea casu illuc domicilium mutet, & sit commodior illic ingressus, tenetur ingredi, sed liber ab obligatione voti manet. Ducor, quòd ideò non tenentur fœminæ, & viri ultra loca dicta quærere religionem se admittentem, quòd ex tacita voluntate ex voventium consuetudine deducta votum non extendatur ultra prædicta loca. Ut proximè diximus, & *num* 44. *præcedenti*. At casus fortuitus posteà succedens non potuit priorem voluntatem variare. Si ergo prior voluntas voventis non se extendit, nec obligabit ultra prædicta loca, nec votum iterum emissum est, nec postea casu illo fortuito eveniente obligavit. Masculos autem voventes religionem obligarem ad illam quærendam in quocumque loco intra propriam religionem, & linguam. Ut apertè sentit communis sententia. Ut diximus *duplici num. praced.* Fatendum tamen est sæpè excusari hos voventes ab implendo voto,

voto, quando in sua patria, & in locis vicinis non admittuntur, etiamsi accedat terminus voto implendo impositus. Quia carent expensis necessariis ad alia loca adeunda: & similiter fœminæ, quia extra propriam civitatem etiam in loco proximo carent multis necessariis. Non tamen ob id voti obligatione liberabuntur, sed tenentur expectare, donec commodè possint ea loca adire, ut recipiantur.

47 Posterior difficultas est, quot religiosorum monasteria teneatur voventis religionem adire intra propriam regionem, in qua diximus votum obligare. Quidam dicunt teneri hunc omnia monasteria adire. Hos retulimus *num.* 43. At dicendum est, si hic religionem determinatam voverit, satis esse quinque, aut sex ejus monasteria, & in illa non admissum liberari voti obligatione. Quia ex illis potest conjectari valde probabiliter fore, ut in nulla alia ejus religionis admittatur. Ita docent *Sotus, Valentia, Petrus de Ledesma num.*44. allegati. *Azor, lib.* 11. *Instit. moralium c.*22. *quæst.*2. Similiter si religionem vagè, & indeterminatè vovit, satis erit, si quinque, vel sex varias religiones exploret. Sic *Valentia, Petrus de Ledesma, & Azor. ibidem.* Quod tamen intelligo, si adeat quinque, vel sex monasteria, cujuslibet religionis ex his. Nam perinde se habet hic respectu cujuslibet religionis, ac vovens determinatam respectu illius determinatæ. Si ergo vovens determinatam tenetur quinque, vel sex illius monasteria adire; vovens indeterminatam tenebitur totidem cujuslibet ex illis. Non tamen habendum est pro regula certa perlustrasse quinque illa, vel sex monasteria; sive ejusdem, sive diversarum religionum, & in illa non admitti, ut exinde judicetur hic liber ab ingressu religionis. Sed regula certa est, quando facta diligentia non est moralis spes fore, ut alicubi recipiatur. Et ita optimè *Aragon.*2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *circa solutionem ad* 2. *Manuel.* 2. *tomo summæ c.* 95. *num.* 4. dixere teneri hunc ea monasteria adire, ex quibus conjicere potest fore, ut in nullum aliud admittatur. Conjectura autem sufficiens ad desperandam hanc admissionem erit, si religio petita in dicto monasteriorum numero denegetur. Quod apertè significant omnes Doctores citati: dum enim hunc liberum à voto judicant, eam reddunt rationem, quòd ex denegata in eius monasteriorum numerum admissione conjiciatur probabiliter deneganda in reliqua. Insuper limitanda est hæc sententia dupliciter. Ut dicemus *num.* 52. *& duplici sequenti.*

48 Quam ob rem aliquando sufficiet unum monasterium adire cujuslibet religionis, si religio generaliter promissa sit cujuslibet (inquam) ex illis quinque vel sex, quæ diximus *numero præcedenti*, teneri adire; vel unum monasterium determinatæ religionis, quando determinata promissa est. Quia viri docti, & probi illius, ac instituti conscii judicant illum in nullum suæ religionis monasterium admittendum. Aliquando autem non sufficiet ea quinque vel sex adire. Quòd ex illis non desumatur cæterorum monasteriorum judicium, sed adhuc probabilis spes maneat admissionis in alio loco. Ac communiter, & in dubio, conjectura à Doctoribus tradita *num. præced.* est sufficiens ad libertatem hanc voventis dijudicandam.

49 Hoc tamen non ita metaphyficè accipiendum credo, ut existimem voventem religionem vagè, teneri ingredi quamcumque, in quam admissus fuerit, si ab aliis non admittatur. Non enim existimo teneri hunc ad religionem strictissimam; ut Capuccinorum, vel Carthusiæ; nisi voverit expressè esse religiosum quibuscumque laboribus superatis. Ducor, quòd religiones hæ asperrimæ specialem Dei vocationem petant; nec communiter à voventibus apprehendantur; nisi tantus in vovente devotionis zelus sit, ut prædicta determinatione affectus voverit. Cujus sententiæ videntur apertè esse *Ricardus* 4. *dist.*38. *art.*5. *quæst.* 1. *ad* 2. *Angelus verb. Votum* 3. *num.* 10. *Sylv. verb. Religio*, 2. *quæst.* 16. *Armilla verb. Votum num.*18. dum dicunt hunc non teneri eas religiones ingredi, ad quas non se obligasset, si eæ tempore voti emissi in mentem venirent. Quamvis enim hanc regulam non in universum approbarim *c.* 2. *num.*20. 21. & 22. At in hoc casu verum habet, non ob id solùm, quòd si hic cogitasset, non se obligasset. Sed quia communem voventium intentionem hæc asperitas excedit; & ita in ea communi intentione hæ religiones non clauduntur. Hac enim ratione ducti Doctores *numero* 44. allegati dixere teneri hunc extra propriam regionem ire causa voti implendi.

56 Quare non approbo, quod docet *Abulensis cap.*30. *Numer. quæst.*99. ubi ait voventem determinatam aliquam religionem ingredi, eò quòd videat in ea lautè comedi, & bonis vestibus indui, laxèque vivi, & ob id putavit suis viribus non imparem, teneri adhuc ingredi, etsi per reformationem fiat strictior, ac suis vicibus impar. Sed hoc ita universaliter dictum non mihi placet. Quia notabilis rerum mutatio deobligat à voto. Ut probavimus *c.*2. *à nu.*20. Unde tantùm erit verum, quando excessus non esset notabilis, sed modicus. Tunc enim non esset notabilis mutatio, ut à voto deobligaret.

51 Nec tenebitur hic ingredi religionem equitum D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ, D. Joannis; etsi in aliam non admittatur. Quia etsi hi veri religiosi sint, & maximè, hi ultimi, qui solemniter profitentur; at in communi religionis voto non comprehenduntur. Ut *n.*11. & 12. probavimus. At benè teneretur ingredi religionem clericorum ordinum militarium; & canonicorum regularium. Ut constat ex dictis *num.*12.

52 Quatenus verò diximus liberum esse à religionis voto, qui facta sufficienti diligentia non admittitur, est dupliciter limitandum. Primò, si ille repulsam patiatur ab habentibus legitimam admittendi potestatem. Nam si Provincialem, aut Generalem adierit, nec ab eis in religiosorum ordinem admittatur, non erit solutus voto. Quia monachi admissio ad immediatum religionis Præpositum cum conventu pertinet. Ut tradit *Glossa* communiter recepta *c. finali, de regular. in* 6. Non ergo sufficit solius Generalis, aut Provincialis exclusio. Item, quia possent Generalis, & Provincialis odio moti, aut alia ratione minùs sufficienti eum refutare; qua fortè non ducerentur Prælati immediati, ad quos admissio pertinet. Ita docent *Nav. l.*3. *consil. tit. de voto in* 1. *edit. consil.*2. *à num.*2. *in* 2. *cons.*28. *à num.*2. *Azor. lib.* 11. *instit. moral. c.*22. *quæst.* 2. Quod intelligendum est primùm, nisi rationem sufficientem reddiderint Generalis, & Provincialis, ob quam creditur probabiliter fore, ut nullum monasterium suæ religionis eum admittat. Ita *Navarr. ibidem.* Quod etiam docet *idem Navarr. summ. c.*12. *in Latina notiori nu.*62. *in fine*, dicens hunc non excusari, nisi Generalis, & Provincialis judicaret causa cognita eum esse religioni ineptum. Secundò intelligitur, nisi talis sit religio, ut penès Generalem vel Provincialem sit totum admittendi jus. Ita *Azor. ibidem.* Tertiò intelligitur, nisi Generalis, aut Provincialis justis de causis præcepissent superioribus immediatis, ne aliquos ad sua monasteria reciperent. Ita *Azor. ibidem.* Quamvis autem nec sit admittendi facultas penès solos immediatos conventuum superiores, sed unà cum conventibus ipsis, credo hunc voto suo liberari, si petita ab illis superioribus religio ei denegetur. Quippe non est voventis, monasterium cogere ad religiosorum suffragia investiganda; sed id munus est superioris immediati. Quare dum hic negarit, credere potest eam esse conventus voluntatem.

53 Secundò limitatur; quando causa repulsæ est perpetua. Si enim hoc tempore non admittatur ad religionem, sperat tamen se alio tempore recipiendum, eò quòd causa, ob quam nunc non admittitur, est temporalis, tenetur expectare. Si autem causa sit perpetua, ita ut prorsus desperetur admissio, ad nil amplius tenetur. Quia in priori casu non simpliciter repellitur, sed ad tempus. In posteriori autem repellitur simpliciciter, & in perpetuum. Ita docent *Cajet.* 2. 2. *q.*88. *art.* 3. *circa solutionem ad* 2. *vers. In eadem responsione circa eumdem casum; & ibi Aragon. circa solutionem ad* 2. *fol.*996. *col.*2. *Manuel.* 2. *tomo summ. c.*95. *nu.*5. *Valentia* 2. 2. *disp.*6. *q.*6. *puncto* 4. *column. penult. versic. Item si quis vovit, Petrus de Ledesma* 2. *tomo summæ tract.* 10. *c.* 3. *dubio* 5. *Azor. l.* 11. *institut. moral. cap. vigesimo secundo quæstion. quintu.*

54 Sed discordant *Cajetan. & Azor.* Nam *Cajetan.* sentit eum repulsum in perpetuum manere liberum, manifestando priùs suum votum religiosis, eò quòd hoc fortè eos ad receptionem induceret. *Azor.* verò *eo c.*22. *q.*9. sentit hunc non teneri id votum manifestare. Quòd solùm religionis ingressum voverit, nec umquam id votum se patefactum promiserit. Votum autem ejusmodi cum ea tacita conditione intelligitur, si religiosi eum velint admittere. Item, quia in decreto obligandi se per votum ad aliquam rem, non includitur virtute obligatio ad omne medium, quod juvare potest ad voti executionem, sed tantùm ad media communia, & natura sua sufficienta. Hujusmodi autem est petere bona fide admissionem; explicare autem votum est medium extraordinarium. Non ergo tenetur ad hoc, etsi sciret id adjuturum, ut admitteretur. Sicut nec tenetur intercessores ad id obtinendum admittere, vel quærere; quamvis id juvaret ad receptionem; eò quòd extraordinarium medium sit. Tandem, quia moraliter loquendo ea manifestatio nil conferet ad inducendos religiosorum in perpetuum expellentium animos. Et pro hac opinione sunt Doctores, quos referamus infra tractantes de votis religiosorum, qui dicunt religiosum emittentem votum, quod absque superioris licentia exequi nequit, si petitam licentiam superior deneget, non teneri ei manifestare votum, etsi norit fore, ut eo manifestato concederet. Quamvis alii Doctores contrarium teneant, ut *ibi* videbimus, qui priori sententiæ favent. Et ideò utraque sententia est satis probabilis. Sed mihi magis placet, hunc non teneri manifestare votum, etsi eo manifestato sciret se admittendum.

55 Tandem superest triplex difficultas enodanda. Prima est, an qui religionem, vovit, nec admittitur, nisi ut sit laicus, vel nonnisi ut sit sacerdos, teneatur ad id ingredi? Constat eum liberari voto, si animus ejus fuit ascendendi ad sacros ordines, ad quos se promovendum putabat. Quia ultra voventis animum obligatio voti non se extendit. Et ita docent *Sotus libro* 7. *de justitia, quæstione* 2. *art.*1. *ad* 3. *solutionem ad* 2. *folio* 996. *columna prima, Petrus de Ledesma* 2. *tomo summæ tract.* 10. *c.* 3. *dubio* 7. *casu* 3. *Manuel. secundo tomo summæ cap.*95. *num.* 10. *Azor. lib.* 11. *institutionum moralium c.*22. *quæst.*4. Et idem credo, si voverit ut sit laicus fortè

fortè ob majorem sui submissionem, vel causa vitandi laborem studiorum, aut scrupulos ex auditis confessionibus consurgentes; si enim non admittatur, nisi ut si sacerdos, manet à voto liber. Quippe ultra suam intentionem obligare nequit. Utrumque autem constat, quando intentio illa, & cogitatio tempore voti concepta limitavit votum, ita ut voventis animus fuerit eo solo modo se obligare. At cum non omnis ea intentio sub voto comprehendatur, illud amplians, aut restringens, ut diximus *cap.* 11. *num. quinto*, ubi etiam diximus, quid in dubio an cadat sub voto id restringens, aut amplians, superest dicendum, quid sentiendum sit, quando constat eam intentionem non comprehensam sub voto, sed ea fuit cogitatio voventis, non tamen limitavit votum ad illum, intendens sic, & non aliter velle se obligare; nec etiam contrarium decrevit, nempe; velle se quomodocumque obligare. Qua in re Doctores prædicti non loquuntur, nec explicant hoc. Et sic distinguendum censeo. Si existimavit se ad ordines tempore illo voti emissi promovendum, quamvis non habuerit expressam intentionem sic limitandi suum votum, nec contrariam, sed ad hoc non advertit, credo eum non teneri ingredi, ut sit laicus. Et hoc credo sentire Doctores citatos; non enim expressè loquuntur, quando ita limitavit suam intentionem, sed his terminis utuntur, quando tempore voti proposuit, vel quando cogitavit tunc se futurum sacerdotem. Ducor, quòd ingredi, ut sit laicus, est notabilis mutatio, reddens rem multò difficiliorem, quàm tempore voti existimabat vovens. Et proinde à voto deobligat. Iuxta regulam traditam *cap.* 2. *à num.* 22. Si vero existimabat se recipiendum, ut esset laicus, idque volebat, & constat non ad id votum suum limitasse, nec contrarium intendisse, sed ad id non advertisse; si id volebat ob majorem sui submissionem, credo teneri ingredi, ut sit sacerdos, quando alio modo non admittitur. Quia non est mutatio notabilis. Si verò id volebat, quia valde difficile sibi existimabat, studiis, & sacerdotum ministeriis vacare; & ideò id adeò horrebat, ut nullo modo appeteret ad id ingredi, nec se obligasset. Et tunc credo non teneri; non quia ad id non se obligasset, hoc enim solùm non sufficeret: sed quia est notabilis mutatio, & nobilis difficultas respectu suæ apprehensionis tempore voti conceptæ. Secùs si ea difficultas non esset tanti momenti. Quando verò dubium est, an intentio votum limitarit diximus *capite* 11. *numero* 6.

56 Sed quando tempore voti nil cogitarit de gradu, ad quem promouendus erat, ita est distinguendum. Si iis dotibus, & conditionibus præditus sit, quales conueniunt iis, qui tempore debito sacris ordinibus initiantur, tunc si non admittatur, ut sit sacerdos, liber est à voto. Ut si sit juvenis nobili genere natus, aut aliqua animi dote conspicuus aut Dialecticæ, Philosophiæ, aut Grammaticæ peritus. Quia hi communiter vouent, ut sint sacerdotes, & ad eum statum admitti solent; & ita videntur tacitè, & implicitè id promisisse, ad quod tales admitti solent. Aut his conditionibus caret, & tunc tenetur ingredi, ut sit laicus, si alio modo non admittitur. Quia expressè, nec tacitè vouit, ut sit sacerdos. Ita *Azorius numero præcedenti* allegatus. Et idem intelligo, si non admittatur, nisi ut sit sacerdos, & caret omnibus dotibus prædictis, estque litterarum penitus ignarus, credo enim eadem ratione eum non teneri ingredi, ut sit sacerdos. Quia cum hujusmodi homines recipiantur communiter, ut sint laici, & sit eis valde difficile à primis rudimentis in religione litteris vacare, censentur implicitè vouisse, ut sint laici. Quando autem vouens utrique statui aptus esset, cum nil implicitè in voto includatur, tenetur ad eum, ad quem religiosi volunt admittere.

57 Quòd si de sua intentione dubius omnino sit, credo judicandum, ac quando nil determinavit, juxta ea, quæ *numero præcedenti* de nullam partem determinante diximus. Quia cum de voto constet, & expressa intentio limitans sit dubia, potiùs est in favorem voti judicandum, ut censeatur absolutum, & indeterminatum. Quare ad indagandam voventis obligationem, erit tunc necessario confugiendum ad intentionem tacitam ex conjecturis *numero præcedenti* traditis deducendam. Item, quia cum memoria illa, & determinatio sint quid facti, & nulla ratio ad ea præsumenda cogat, non præsumentur.

58 Ex his deducitur primo, si vouens ejus conditionis sit, iisque dotibus ornatus, ut soleat ad altiora litterarum studia admitti, & ad vacandum altioribus ministeriis, non teneri eum ingredi, si solùm admittatur, ut Grammatica, aut chori ministerio contentus sit. Quia attenta voventis conditione, & communi admittendi usu, censetur in suo voto inclusa conditio, *si admittatur ad ea ministeria, ad quæ personæ suæ conditionis admitti solent.* Insuper, quia hæc est notabilis difficultas superveniens. Cum ignominiosum huic sit ita permanere.

59 Secundò deducitur, spurium dignitatum ordinis incapacem juxta novam Sixti Quinti constitutionem, & illius ignarum, vouentem religionem, si ijs animi dotibus præditus esset, ut meritò sperari possit fore, ut ad ordinis dignitates, & prælaturam promoveretur, nisi eo impedimento detineretur, non teneri cognita ea constitutione, aut postea edita, religionem ingredi. Et idem, si vouit religionem habentem similem constitutionem, à se tamen ignoratam, aut post votum edita fuit. Ratio est, quia est notabilis difficultas à se ignorata. Cum huic gravissimum sit eam notam semper peti, ut iis dignitatibus ineptus sit. Et major videtur hæc difficultas, quàm Grammaticam, vel officium addiscere. Cum tamen, ut dicemus *num.* 62. & 68. quando ignorabat ea exigi, minimè tenebitur addiscere, ratione novæ difficultatis supervenientis, & denuo cognitæ. Quòd si dubius sit, an ignorarit, possessio est pro voto, & excusatio dubia, & ita tenebitur ad votum.

60 Secunda difficultas est, an si à vouente petatur, u Grammaticam addiscat, aut aliud officium mechanicum nec aliter admittatur, teneatur addiscere? *Angles floribus* 2. *p. q. unica de voto art.* 2. *difficultate* 5. ait promittentem religionem, si id sacerdotum ordinem non admittatur, eò quod litteris careat, teneri addiscere, vel ingredi, ut laicorum numero adscribatur.

61 Sed sic distinguendum est. Si is vouerit credens se ad sacerdotum ordinem promouendum, noritque ad id Grammaticam desiderari, tenetur eam addiscere, ut ad eum admittatur. Quia implicitè promisisse censetur media, quæ ad eum finem obtinendum exigi novit. Ita *Sotus lib.* 7. *de justit. q.* 2. *artic.* 1. *ad* 3. *versic. Quid autem si repelleris, Aragon. Petrus de Ledesma, Manuel. Azor.* allegati *numero* 55. *Philiarcus de officio sacerdotis, tomo* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.*21. Quod triplici limitatione intelligendum est. Prima, nisi eligat esse laicum. Ita *Sotus, Aragonius Manuel. Philiarcus ibidem, Angles numero præcedenti* allegatus. Qui tamen non explicant obligationem hujus, si velit laicus esse; at religiosi nolunt eum admittere, nisi ut sit sacerdos. At cum dicant disjunctivæ teneri Grammaticam discere, vel ingredi, ut sit laicus, videntur indicare, quacumque disjunctionis parte electa, eum voto satisfacere; atque ita liberum manere, si laicus esse velit, & monachi nolint eum admittere. At non credo, id sentire hos Doctores, sed posse eum eligere, si monachi velint eum ad laicorum gradum admittere. Cum enim vouerit, ut sit sacerdos, censetur quoque vouisse medium necessarium à se cognitum. Quare quando aliter implere votum nequit, religiosis nolentibus aliter admittere, tenebitur ad id. Sed dices eam intentionem non fuisse sub voto comprehensam: Pro ut potest accidere, juxta dicta *num.* 55. Verùm adhuc dicendum est teneri Grammaticam addiscere. Quia cum id non sit noua difficultas incognita, & volentibus monachis admittere, ut sit sacerdos, & non aliter ad ingrediendum, ut sit sacerdos, teneatur, utpote quod suæ intentioni conforme est, nulla est ratio, ob quam ab ea addiscenda excusetur. Secunda limitatio est, nisi putarit tempore voti esse necessariam Grammaticam; addiscendam tamen intra religionem. Tunc enim si non admittatur, nisi in sæculo discat, dicendum est, idem, quod *numero sequenti* dicemus de putante eam non requiri. Quia est notabilis mutatio. Ultima est, si facultas discendæ Grammaticæ suppetat, aliàs enim excusabitur à voto ratione impotentiæ moralis; dum ea duraverit. Et ita benè limitavit *Sotus.* Nec hic tenebitur ingredi, ut sit laicus, quia excedit suam intentionem. Similiter dicit benè *Philiarcus*, si adhibita sufficienti diligentia nequeat discere Grammaticam, liberum esse à voto, quia ad solam moralem diligentiam obligat. Sed limitat, quando credebat tempore voti se aptum ad addiscendum; nam si se ineptum sciret, cum apposuerit conditionem impossibilem, habetur pro non adjecta, & ita ait teneri ingredi, ut sit laicus. Sed hæc limitatio non placet, quia in voto non habetur conditio impossibilis pro non adiecta. Ut suo loco agentes de voto conditionali dicemus. Et ideò si id reputabat sibi impossibile, corruet votum.

62 Si verò credebat non esse necessariam Grammaticæ cognitionem, non tenetur eam addiscere. Quia est notabilis mutatio superveniente magna difficultate ignorata. Nec tenetur ingredi, ut si laicus, quia id non vouit. Ita docent *Sotus, Aragon. Manuel. Petrus de Ledesma, Azor. numero præcedenti* allegati. Et idem dicendum est de ignorante eam requiri. Et de hoc videntur etiam loqui Doctores prædicti, etsi non tam expressè. Eam enim rationem reddunt, quòd ignorantia excuset, utpote, quæ involuntarii causa est. Item, quia adhuc est notabilis difficultas ignorata. Imò *Azor.* ait non teneri, si dum vouit, non meminerit hujus obligationis. Sed credo intelligere, se nescierit: nam allegat prò se *Sotum* hic allegatum, qui de sola ignorantia loquitur. Quia si re vera sciebat eam esse necessariam, etsi tempore voti id non adverterit, tenebitur discere. Quia non est notabilis mutatio, nec supervenit difficultas incognita; nec est opus, ut tempore voti advertat vouens ad omnes rei promisse difficultates. Ut diximus *c.* 2. *n.* 10.

63 Idem intelligerem, si vouens putabat sufficere Grammaticam, quò intento sacerdotum ordini adscriberetur, vel ignorabat amplius exigi, & nolint religiosi eum admittere ad eum gradum, nisi ulteriùs Artium, & Theologiæ cursum perficiat, vel solum artium cursum. Existimo enim esse notabilem mutationem, & multò majorem difficultatem ea, quæ cogitata est, & ideò eum non teneri.

64 Quòd si tempore voti nil determinavit circa statum sacerdotii, aut laicorum, ad quem admittendus erat; dupliciter potest id contingere. Priori modo, quando expressam intentionem habuit, *volo ingredi, sive ut sacerdos, sive ut laicus sim.* Et tunc si non admittatur, nisi ad gradum sacerdotum, & addiscendo prius Gra-